



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Ad Vnum Corpus Redactus

Philosophiæ R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacræ
Theologiæ Professoris Tomus II

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

Controversia V. De potentia intellectiua & de illius actibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95526)

existentes non posse obiecta spiritalia sentire certum existimo, quia obiectum spirituale est extra rationem obiectivam illarum, nec ullum est fundamentum, ut his potentiis tribuamus virtutem adhuc inchoatam, & obedientialem respectu actuum tendentium in obiecta spiritalia. De aliis potentiis, quæ à Deo possunt creari, maior est difficultas, neque coniectum iri puto qui assereret posse dari virtutem aliquam materialem distinctam ab his potentiis quæ modò dantur, siue nomine *sensus*, siue alio esset appellanda, spiritalis obiecti perceptivam. Nihilominus verius existimo talem potentiam repugnare propter improprietatem, quæ est inter potentiam materialem, & obiectum spirituale, quia si semel admittatur potentia materialem posse tendere in obiectum spirituale, facilis erit transitus de obiecto naturali spiritali ad obiectum supernaturale: & rursus de obiecto supernaturale finito ad supernaturale infinitum, gradum aliquis facere tentabit, neque nova ratione, sed nova audacia indigebit paradoxos novitatum invenire, ut hæc defendat. Dicendum ergo est (ne aditus his pateat) obiectum omnis potentia materialis etiam possibilis terminus materialitatis continetur, ad quam conclusionem trahor non aliqua demonstratione coniectus, sed prudenti quadam religione in modo philosophandi, ne terminos Philosophiæ quos perverit illi Principes præfixere absque fundamento transiliam, quos si similis religio non stabiliat, nulli delirio non patebunt, quod irridere quique poterit & forsitan nemo efficaciter impugnare. Nec in hac difficultate amplius immorandum, nihil enim in illa non vulgare dici potest. Nonnullos legi prolixè satis rem tractantes: ex quibus didici materiam hanc maiori examine dignam non esse.

2. Secundo inquiritur, an in sensibus detur error? Resp. non posse dari naturaliter, quia sensus semper percipit obiecta per proprias obiectorum species, vel per immediatum illorum concursum; species autem & obiecta semper producant sensationes tendentes in eadem obiecta, à quibus mediatur, vel immediatè est, neque mediis speciebus, quæ in conservari dependent ab obiectis, nisi ab his actu existentibus, ac proinde semper obiecta, quæ in rerum natura existunt, naturaliter repræsentant; supernaturaliter posse dari errore in sensibus constat ex dictis Punct. 4. ubi probavi sensationem posse fieri in obiectum non existentem.

3. Obiic. Per nos potest dari sensatio, quæ adhuc naturaliter non petat existentiam in obiecto: ergo illi sensationi naturaliter error contingere potest. Resp. distinguendo: Potest dari sensatio, quæ naturaliter non petat existentiam obiecti; naturaliter, nego: supernaturaliter concedo: appellant huiusmodi *naturaliter*, & *supernaturaliter*, per quos fit distinctio supra illud potest dari; ergo illi sensationi naturaliter potest error contingere; distinguo consequens ex suppositione, quod supernaturaliter existat concedo: absolute, nego, quia sensationi, quæ naturaliter esse non potest, nihil naturaliter potest contingere, supponit enim quidquid illi contingit, suam existentiam, quæ naturaliter esse nequit.

4. Obiic. Cum quis Iridem intuetur, videt colorem, qui non est; ergo illa sensatio est falsa. Resp. intuentem Iridem non videre colorem, sed lucem visione quadam quæ fundamentum præbet intellectui ut ipse decipiatur, absque sensus deceptione.

5. Tertiò inquiritur: an sensibile supra sensum faciat sensationem? Negativa pars communiter traditur ex Aristotele, quem interpretor cum Scoto de corpore opaco immediatè posito supra sensum, quod videri non posse, præter experientiam, ratione probatur: obiectum ut videatur indiget luce, vel ex parte mediæ vel ex parte obiecti: sed obiectum immediatè applicatum potentia visui non potest esse lucidum, neque medium habet lucidum per quod videatur: ergo videri nequit. De luce & de alio corpore diaphano luce perfuso sentio videri posse etiam immediatam potentia, quia corpus illud virtutem habet ad producendam speciem impressam sui, neque ratione applicationis est impeditum, quia illam produceret in aère immediato: ergo potiori ratione in ipsis organis potentia visiva, quæ aptissima sunt ad illas recipiendas: potentia visiva poterit speciebus productis à luce immediata organis ipsius lucem immediatam videre. Idem dico de corpore diaphano.

6. Obiic. Sequi ex hoc potentiam visivam posse videre lumen existens in pupilla. Resp. negando sequelam, quia lux

non videtur nisi mediis speciebus, quas producit in subiecto, in quo non est. Instabis saltem videndam esse lucem existentem in ipsis tunicis, & harum colores eodem modo videndos. Resp. negando similiter hanc sequelam, quia nulla species potest pervenire ad humorem crystallinum, nisi prius fuerit transmissa per omnes membranas pertinentes ad deorganizationem potentia, ideo enim requiruntur, ut species in illis quasi defæcatæ ad ultimum organi, in quo potentia residet, aptæ ad visionis productionem perveniant: species autem obiecti existentis in aliqua membrana non possunt in eadem membrana recipi, & ita non possunt mitti ad potentiam cum aptitudine ad visionem producendam.

Obiic. Nos experimur non videre lucem immediatam oculis: ergo falsa est nostra conclusio, & contra experientiam. Resp. nos non habere talem experientiam, sed tantum experiri, non posse discerni à nobis inter lucem immediatam oculis, & aliam magis remotam; quod ex eo est, quia lux immediata, & mediata oculis eiusdem est rationis, & per modum valis obiecti continui repræsentatur, & ita non valemus inter singulas illius partes discernere.

Quartò inquiritur: an sensus lædatur vehementi sensibili? Resp. sensationem vehementis sensibilis etiam vehementem aliquando sensum, & animam recreare, ut patet in visione pulcherrimi obiecti, auditione suavisissimi concentus, & olfactione fragrantissimi electri, aliquandòque sensationibus obiectorum potentiam, seu animam maxime torqueri, & angere, ut patet in visione fœdi monstri, auditione inordinati strepitus, & sensationibus, quibus sentimus odorem foetidi cadaveris, & calorem ingentis ignis. Adde tamen his sensationibus subiectum non corrumpi, quia sunt intentionales, non physice, & non opponuntur temperamento requisito ad conservationem potentia, atque viventis; lædatur tamen aliquando sensus vehementi sensibili non per ipsas sensationes immediatè, sed quia aliquando ab ipso obiecto sensibili plures nocivæ qualitates mittuntur in sensum, per quas corrumpitur temperamentum requisitum ad illius conservationem. Aliquando lædatur, quia vehemens sensatio pluribus indiget spiritibus, ut fiat, qui calidissimi sunt, & præ multitudine illorum confluentium ad visionem efficiendam, temperamentum organi nimio illorum calore dissolvitur. Lege si placet Conimbr. lib. 2. cap. 12. q. unica.

Ultimò inquiritur: an sensus externi suas sensationes percipiant? Resp. negativè, quia non est illorum supra proprios actus reflectere, quæ tantum alias qualitates ut obiecta respiciunt; potentia visiva lucem, & colorem, & non sensationem propriam, & sic alij sensus obiecta respiciunt, quæ supra illis assignavimus.

CONTROVERSIA V.

De potentia intellectiva, & de illius actibus.

¶ G1 de potentiis materialibus, iam ad spirituales gradum facio, quarum prima est Intellectus, de quo mihi in præsentiarum sermo est instituendus.

PUNCTUM PRIMUM.

De Intellectu agentis.

In intellectu agentis designando plures errores commiserunt Ethnici Philosophi, quos leges apud Conimbr. lib. 3. de anima c. 5. q. 2. Ego de his, quæ inter Catholicos possunt in questionem cadere tantum meminero.

Intellectum agentem non distinguere à possibili, communis opinio Doctorum, qui his temporibus scripsere, tueretur, cum multis ex antiquioribus, licet non pauci ex verustis distinctionem realem inter intellectum agentem, & possibilem reperiri velint. Nos verò, qui reliquas potètiis inter se realiter non distinguimus, tenemur cum communi sententia

sententia constanter tenere intellectum agentem, & possibilem non distingui realiter, sed tantum formaliter penes diuersa munera, quibus eadem entitas fungitur; ex quibus in ordine ad aliam intellectus agens dicitur; & in ordine ad aliam intellectus possibilis, seu passibilis appellatur.

3 Tria sunt munera, quæ Peripatetici intellectui agenti incumbere sentiebant: illustrare phantasma, reddere obiectum intelligibile, & speciem impressam producere. Munus, quod clarè percipitur, est hoc ultimo assignatum, producendi speciem impressam, à qua species expressa procedat, quod denegat Hurtadus; non quia neget species spirituales produci in intellectu, ad quamlibet intellectiōnem; sed quia censet harum productionem non incumbere intellectui, sed obiectis, quorum species sunt virtutes, representationes; quia omnis huiusmodi species producitur à suo obiecto, si obiectum talis est natura, quod proportionem habeat ad illas producendas; quod si improporzionatum sit, sicuti phantasma materiale respectu speciei spiritualis producendæ in intellectu, defectum huius proportionis supplere non est potentia intellectiva, sed Dei, cuius munus est, ex vi causæ primæ supplere defectum secundarum, & ita illius erit speciem impressam spirituales, quam non potest producere phantasma materiale, efficere; & non potentia intellectiva, quia non est vnus causæ creatæ supplere defectum aliis causæ creatæ.

4 Non ego tam leui fundamento negare intellectum simul cum phantasmate producere speciem impressam obiecti, si concederem necessum esse procedere à phantasmate aliquam speciem impressam. Ratio enim Hurtadi non conuincit intentum, neque adhuc illud suadet: saepe enim plures causæ creatæ mutuo adiuuantur ad producendum aliquem effectum, ita ut mutuo defectus vnus alterius virtute mutuo suppleatur, & quælibet ex se impotens effectum producere, per consortium alterius illud producere fiat potens: neque semper Deus immediatè, & per se supplet defectum causæ secundæ, sed mediis aliis causis secundis, sicuti defectum, quem habet voluntas, ut possit actu supernaturali Deum super omnia diligere, supplet habitu charitatis, & non immediatè per se ipsum, neque ad munus auctoris naturæ attinet immediatè, & per se defectus peculiaris huius causæ supplere, per concursum immediatum ab illo exhibitum ad effectum, quem causa secunda attingere non valet; sed sufficienter prouidebit causæ secundæ, illiusque sufficientiam procurabit si illi virtutem aliquam creatam applicet, quæ possit effectum producere, quod respectu phantasmatum habentis virtutem inchoatam ad producendam speciem impressam spirituales rectè esset prouisum, si intellectus virtutè haberet ad producendum cum illa talem speciem cuius ope posset species spiritualis produci, etiam si à phantasmate procederet, quia ab illo licet materiali per intellectum spirituales eleuato procederet, & ita res esset transigenda, si phantasma mediâ specie impressâ, & non per se ipsum ad intellectiōnem concurreret, cum communi sententia censet: quia quotiescumque causæ creatæ assignari possunt pro effectum producendo ad Deum recurrere Philosophi non est, præcipue contra communem Doctorum sententiam, & sine aliquo positiuo fundamento.

Ad illud, quod dicit Hurtadus, non esse vnus causæ supplere defectum aliis, Respondeo non esse omnis causæ secundæ supplere cuiusvis aliis defectum; esse tamen multarum supplere defectum aliarum: sicuti speciei impressæ est supplere defectum potentia non valentis sine specie impressâ expressam producere: & habitus supernaturalis, supplere defectum potentia non valentis sine habitu actum supernaturalem elicere.

6 Addit Hurtad. Si intellectus agens concurreret ad speciem impressam, non solum illi corresponderet in effectu ratio spiritualis, sed ratio speciei impressæ, quia eo ipso quod esset intellectus agens, esset determinatus ad speciem impressam, & non expressam producendam. Parum hoc refert, ad negandam intellectui agenti virtutem actiuam respectu impressarum specierum: nihil enim intererat intellectui agenti correspondere in effectu rationem spirituales, & rationem speciei impressæ, quia ex hoc non liceret inferri, secundum doctrinam harum correspondentiarum obseruantiorum, intellectum agentem fore causam adequatam, quia non illi correspondere posset ratio speciei impressæ circa tale obiectum, neque specifica ratio,

quæ rationem speciei impressæ abstractè sumptam ad determinatam contrahit speciem. Neque inconueniens est asserere idem prædicatum posse correspondere ex parte effectus duobus principiis inadaquatis, quorum quodlibet ad illud producendum erat determinatum, quod in plurimis effectibus frequenter cernimus: prædicatum enim materialis in visione corporea correspondet speciei impressæ, & potentia visuæ; & prædicatum spiritualis in cognitione spirituali, correspondet potentia intellectiva, seu anime, speciebus, & habitui, & passim idem in effectibus innumeris, oculis cernitur.

Sed rem adhuc ad præsentem difficultatem parum vel nihil attinentem non bene Hurtadum intulisse censet, iuxta communem sententiam non distinguente realiter intellectum agentem à possibili. Rem clarè explicabo. Intellectus secundum suam entitatem non dicitur agens, ut distinctus à possibili, neque possibilis ut distinctus ab agenti; sed per productionem speciei impressæ dicitur agens in actu secundo, & id per quod in actu primo constituitur potens completè producere speciem impressam, determinatur ad illam producendam, dicitur agens in actu primo, & formaliter distinctus à possibili: unde idem est constitui formaliter in ratione agentis ut distincti à possibili, & determinari per modum actus primi ad speciem impressam producendam: sed intellectus secundum suam entitatem ut denominetur potius agens quam possibilis constituitur in ratione agentis, ut distincti in actu primo à possibili per phantasmata: ergo per phantasmata determinatur ad producendam potius speciem impressam, quam expressam: ergo prædicatum speciei impressæ repertum in effectu non correspondet entitati intellectus secundum se, sed phantasmati determinanti aliud principium, videlicet entitati intellectus, ut speciem impressam, & non expressam producat.

Illud, quod dicit Hurtadus intellectum agentem determinatum esse ad producendam speciem impressam, & non expressam, non est verum, si nomine intellectus agens sumatur nuda potentia intellectiva, quæ per aliquod distinctum ab illa denominatur agens, & formaliter ab intellectu possibili differt. Si verò sumatur de intellectu agens, ut agenti formaliter, & distincto à possibili, verum est, sed in hac acceptione intellectus agens non solum dicitur potentiam intellectivam, sed illud, per quod potentia intellectiva indifferens, ut denominetur agens, seu possibilis, formaliter constituitur in ratione agentis distincti à possibili, quod est phantasma, cui correspondet in effectu ratio speciei impressæ: itaque dicere intellectui agenti, ut agenti correspondere in effectu rationem speciei impressæ, est asserere correspondere phantasmati, quia phantasma est forma, per quam intellectiva virtus constituitur in ratione intellectus agentis per modum actus primi distincti formaliter ab intellectu possibili. Hæc dixerim pro communi sententia in nostra verò quæ tenet phantasma immediatè ad intellectiōnes concurrere, hoc munus intellectui agenti nullo modo tribui nequit.

Munus illustrandi phantasmata explicat Caietan. l. 1. p. 1. q. 85. art. 1. ubi asserit hanc illuminationem non esse formalem per productionem alicuius qualitatis inherentes phantasmati; sed tantum obiectiuam, quæ intellectus se habet ad phantasma eo modo, quo lumen Solis in opinione multorum se habet ad colorem, quod per solam sui assistentiam in causa est ut colores species producant. Ferrar. lib. 3. de anima, quæst. 4. in 2. distinct. 3. quæst. 2. art. 3. putat intellectum agentem per coniunctionem cum sensu interno illum eleuare, ut excellentiora producat phantasmata & aptiora ad species impressas producendas, & hac ratione dici phantasmata intellectui agente eleuari.

Hos loquendi modos examinare longum esset, & parum vtile, in quibus vnum verum inuenio, scilicet, intellectum agentem nihil in phantasmatibus producere ad illorum illustrationem: aliud satis probabile, sed in mea tamen sententia non sustinendum, scilicet, intellectum agentem iuuare phantasma ad species impressas producendas: probabo enim Controu. 13. Puncto 4. phantasma immediatè concurrere ad intellectiōnes nullâ specie impressâ intermediâ. Quæstio hæc ultra nomen transire nequit. Certum est, intellectum nihil in phantasmatibus producere: certum est, phantasmata non posse producere speciem impressam, neque expressam intellectus, sine alia concausa supplente improporzionem, quam habet materiale phantasma

phantasma ad producendum spiritualem speciem intellectus, siue impressam, siue expressam, certum in sententia ferè omnium, phantasmata aduari intellectu ad producendum speciem impressam, si species aliqua impressa in intellectu existens à phantasmatis procedit. Extra questionem est phantasma non posse immediatè concurrere ad intellectiōem, nisi eleuatum intellectu. Quæstio est, an phantasma intellectu adiutum immediatè producat speciem impressam, an verò producat expressam nullā impressā interiectā? Qui dicunt intellectiōem immediatè procedere à phantasmate in re asserere debēt, intellectum respectu phantasmatis se habere per modum comprincipij altioris ordinis eleuantis phantasma ad effectum spiritualem, quem phantasma materiale sine hac eleuatione producere nequit. Qui affirmant nullam intellectiōem procedere à phantasmate tanquam à principio effectiui, hanc eleuationem ponunt inter phantasma eleuatum, & intellectum eleuantem in ordine ad intellectiōem, quæ eleuatio in actu secundo dicit actionem spiritualem procedentem ab vno principio inadæquato, materiali, & alio etiam inadæquato spirituali, & in actu primo virtutem actiuam intellectus paratam concurrere cum virtute actiua phantasmatis ad effectum spiritualem, & excellentiorem secundum hunc gradum materiali phantasmate. Neque in re aliud præstat intellectus respectu phantasmatis, neque alium habet concursum, ex quo possit desumi fundamentum, ad illi tribuendam hanc denominationem illustrantis phantasmata, & constituendam denominationem intellectus agentis distincta formaliter ab intellectu possibili. Ex quo inferes questionem esse purè de nomine totum quod pertinet ad constitutionem formalem intellectus agentis, & distinctionem inter intellectum agentem & possibilem.

II Sentio in mea sententia quæ species non admittit à phantasmatis productas, posse dici potentiam intellectiui illustrare phantasmata, quatenus illa eleuat, seu quatenus connotat comprincipium materiale tenens se ex parte obiecti, seu concurrentis ex parte obiecti, seu concurrentis loco obiecti: sicut de specie impressa dici solet, ad effectum spiritualem producendum, & hac ratione reddere obiectum proximè intelligibile intelligibilitate extrinsecā dependentem à phantasmatis, quia complet virtutem intellectiui potentem intelligere, quam phantasma tanquam aliquid inadæquatum huius virtutis vt actiua formaliter ingreditur, ex qua virtute prouenit in obiecto denominatio proximè potentis intelligi, sicuti ex virtute productiua causæ effectus dicitur potens produci, & proximè possibilis probabilitate extrinsecā, per quam phantasmatum eleuationem virtus intellectiua dici potest intellectus agens: intellectus possibilis, seu passibilis dici potest, quatenus per modum principij vitalis concurrat ad intellectiōem, quam patitur, & per quam formaliter constituitur intelligens. Has denominationes formaliter distinguere facile est, quia intellectus possibilis quatenus possibilis, & passibilis denominatur, connotat virtutem passiuam respectu intellectiōis, & posse informari per intellectiōem, quæ non includit intellectus agens, vt agens; ac proinde ex hoc capite saltem inadæquatè intellectus agens, & possibilis distinguerentur, etiam si aliud non suppeteret. Distinguantur etiam adæquatè distinctio ne formali, quia intellectus possibilis etiam vt virtus intellectiua potens intelligere secundum rationem intellectus possibilis, dicit virtutem actiuam intellectus, & principium effectiuium per modum vite in actu primo non connotat secundum hanc rationem formaliter aliud comprincipium inferioris ordinis, quod eleuat, quia intellectus possibilis in ratione possibilis, æquè esset potens intelligere per connotationem speciei impressæ spiritualis, cum qua posset spiritualem intellectiōem producere, & non dicit esse eleuatum comprincipij materialis, per quod constituitur formaliter in ratione agentis, & formaliter ab intellectu possibili distinguitur. Formaliter intellectus possibilis, licet dicat virtutem actiuam potentem intelligere, & hac ratione obiectum reddat intelligibile, non dicit formaliter virtutem actiuam constitutam in actu primo completo per comprincipium materiale, & dependentem à phantasmatis, & ita non reddit obiectum intelligibile dependens à phantasmatis, quod est proprium intellectus agentis. Hec dixi longius forsitan quam materia exposcebat in gratiam Angelici Docto-

ris, qui prædicta munia intellectui tribuit agenti, & ferè omnium antiquorum, qui intellectum agentem saltem formaliter à possibili distinguunt.

PUNCTUM II.

De intellectu possibili, & eius obiecto.

¶ Si Puncto præcedenti de intellectu agenti, & in eius natura explicanda non potui non aliquid attingere de intellectu possibili, de quo nunc præcipua instituitur disputatio. Intellectus definiri solet, *Virtus cognoscitiua spiritualis*. Hæc definitio comprehendit omnem intellectum creatum, siue humanum, siue angelicum. Addit Hurtad. comprehendere etiam intellectum diuinum, quod verum erit si in Deo detur virtus intellectiua per modum actus primi formaliter distincti ab ipsa intellectiōe, quod difficultate non vacat, quam tractant Theologi 1. part. quæst. 14.

Intellectum in toto corpore residere extra controuersiam est apud omnes, qui illum ab anima non distinguunt; quod etiam censo, tenentur asserere, qui potentiam superadditam intellectuiam admittunt, quia si datur hæc virtus, per simplicem emanationem procedit ab anima, ac proinde vbicumque sit anima, ab illa procedet illamque comitabitur, vt patet in anima separata, quæ in statu separationis eodem modo intellectum producit, ac quando est vnita, quia passio semper & vbique essentiam consequitur.

De intellectiōe rectè docent plures non esse in toto corpore: sicut enim anima non sentit in ossibus, ita non intelligit in pede: quod fecellit multos Thomistas, asserentes, animam vt rationalem, toti corpori non vniri. Secundò suadetur conclusio: Anima indiget deorganizatione vt recipiat, vel vt sibi vniat intellectiōem, quod probat dependentia, quam habet anima à materia ad suas operationes exercendas: ergo in illa parte corporis intellectiōem sibi vnit, & recipit, in qua sunt dispositiones, quas requirit intellectus ad exercitium suæ potentie: ergo in illa parte corporis erit tantum intellectiō, in qua fuerit deorganizatio requisita ad illam: ergo tantum est in cerebro, & non in toto corpore.

Obiectum intellectus est ens in tota sua latitudine, comprehendens ens materiale, & spirituale; naturale, & supernaturalis; verum & fictum: hoc conuincit experientia, quæ quis certo scit se per cognitionem sæpè sapius ferri in hæc obiecta, quod si quis neget, eodem actu, quo neget intellectum ferri in quodcumque ex his obiectis, illa apprehendere conuincetur, quia nihil potest negari, neque potest dici chimera non est obiectum intellectus, quin actu chimera intellectui obiciatur.

Obiicies: Etiam si experiamur nos cognoscere hæc omnia entia, de quibus mentionem facimus, non possumus certò scire, an sit aliquid ens, quod sit extra obiectum intellectus, de quo non possumus scire esse extra obiectum intellectus, quia de illo quod est extra obiectum intellectus, nulla potest esse noticia, neque alia enuntiatio dari. Totam obiectiōem percipies siingas per impossibile casum, quo Angeli essent extra obiectum intellectus Petri: tunc Petrus nō posset dicere, Angelus est extra obiectum mei intellectus, neque principium aliquid posset illum ducere in cognitionem, quæ diceret, Angelum non est obiectum mei intellectus, neque in cognitionem, quæ quidquam aliud de Angelo affirmaret, vel negaret: ergo forsitan est aliquid obiectum in rerum natura, quod de facto nullus homo cognoscere poterit esse extra obiectum sui intellectus, non alia ratione, nisi quia de facto, est extra illud.

Hæc obiectiō attingit questionem illam, an videlicet possit dari virtus cognoscitiua spiritualis potens cognoscere aliqua entia naturalia, & supernaturalia, spiritualia, & materialia, non tamen omnia? Cui questioni si negatiuè respondeatur, obiectiō aliā solutione non indiget, tunc enim inferam ego ex cognitione horum entium, meum intellectum ad omnia possibilia se extendere posse. Verumtamen difficile poterit caput repugnantie assignari, ex quo diuinæ omnipotentie negamus posse talem creaturam producere, quapropter in re dubia magis inclinor in sententiam asserentem talem creaturam non repugnare.

Ad obiectiōem respondeo demonstrari non posse nostrum

nostrum intellectum pertingere posse omnes species creaturarum, nihilominus satis efficaciter persuaderi, nullam esse ad quam adhuc speciali ratione non se possit extendere, ex eo quod de facto se extendat ad obiecta adeo inter se opposita, atque perfectione distantia, ex eo quod percipiat non solum imperfectissima entia creata, sed quod adhuc perfectionem creaturæ non habet, scilicet chimæram, quæ ideo creatura non est, quia non est, neque potest esse: Deinde ex hoc obiecto adhuc ipso nihilo imperfectiori, quia nihilum dicit non esse rerum, seu illarum negationes, quæ reales sunt, eo modo, quo sunt scilicet negatiue, realiter enim obscurus locus luce caret, chimæra verò tota est per fictionem, neque sine hac adhuc negatio est, ex hac inquam, chimæra, quæ ignobilior est negatione ipsa, superuolat ad id quod est supra omnem perfectionem omnium, scilicet ad Deum, quem per nostram intellectiōnem attingimus cognoscendum, & non solum per cognitionem abstractiuam, sed per cognitionem intuitiuam, qua nobis panduntur abstrusiora attributa, beatissimum sacræ Triados mysterium, in quorum omnium cognitione tanquam in finem creationem hominis, quem Deus fecit ad imaginem, & similitudinem suam, destinauit. Ex quo efficacissime suadetur nullum esse ens, quod intra obiectum intellectus non contineatur, quid enim extrahenda erat à numero cognoscibilium, in quo Deus ipse, & adhuc ipsa non entia, & purè fictitia continentur, specialis aliqua creatura?

8 Suadet etiam hanc conclusionem communis Patrum locutio; qua tradunt Beatos in Verbo creaturas cognoscere, saltem possibiles, quod quam plurimi Theologi interpretantur de Verbo, ut obiecto prius cognito, & asserunt Beatos tanquam in medio prius cognito videre saltem creaturas possibiles, & nonnulli ad futuras etiam visionem hanc protendunt. Ex quo infero beatum posse videre in Verbo tanquam in obiecto prius cognito, vel quomodo-cunque illa locutio intelligenda sit, quamlibet ex creaturis possibilibus, quia Verbum in cognitionem cuiuscunque poterit ducere, & essentia diuina, siue tanquam obiectum prius cognitum, siue alio quocunque modo specificet cognitionem beati in ordine ad obiectum creatum, poterit in ordine ad quaecunque cognitionem beati specificare: quod adeo verum putant nonnulli, vt P. Vasquez sæpè inferat essentiam diuinam debere ducere beatum in cognitionem omnium possibilium, si illum in cognitionem duceret alicuius.

9 Video responderi posse Verbum & essentiam diuinam ex se sufficientiam habere ad ducendum in cognitionem cuiuscunque creaturæ possibilis: verum tamen de facto non posse ducere intellectum in cognitionem creaturæ, quæ non sit intra obiectum intellectus, ac proinde debere supponi creaturam esse intra obiectum intellectus, vt essentia diuina ducat hunc in cognitionem illius. Verum tamen hæc solutio reiicienda est, quia difficile potest concipi intellectus potens tendere cognitione clara intuitiua in obiectum ex se ducens in cognitionem creaturæ, & non potens adhuc abstractiua cognitione illam creaturam attingere.

10 Circa hanc rem est notatu dignum in mea sententia obiectiue non præscindente cognitionem abstractiuam, qua apprehendo creaturas omnes possibiles, seu obiectum diuinæ omnipotentia, ex parte obiecti apprehendere differentias omnes individuales, ac proinde secundum principia huius sententia, etiam si diceretur hominem non posse concipere sub speciali ratione creaturam aliquam, non ideo obiectum circa quod rēderet intellectus medijs actibus coarctaretur, quia illa specialis ratio tenebat se ex parte obiecti cognitionis abstractiue, qua intellectus apprehendebat obiectum omnipotentia in communi, sed tantum coarctaretur illius virtus in ordine ad actus, quia obiectum, quod apprehendit cognitione confusa non poterat apprehendere actu expresso, quo diceretur apprehendi specialis ratio tam ex parte actus, quā ex parte obiecti.

11 De distinctione obiecti materialis, & formalis dixi in Logica, neque eadem repeti necessum est. Specialiter hic pro actibus intellectus notandum est; vulgo dici intellectum ferri medijs actibus in verum, de cuius constitutiua forma scilicet de veritate transcendentali agam in Metaphysica; nunc autem tantum aduerto intellectum non ferri in obiectum verum formaliter, ita vt veritas se teneat ex parte obiecti; in quod fertur actus, quia verum formaliter

dicat cognitionem tanquam formam constitutiuam huius concreti verum, & non semper cognitio fertur in cognitionem, aliā omnis cognitio esset reflexiua, sed in obiectum materiale, quod per ipsam cognitionem verum formaliter denominatur: imò si aliquando hoc concretum verum formaliter constitutum per hanc cognitionem, reflexe per aliam cognoscitur, totum illud, quod verum formaliter dicebatur, se habet per modum materiæ, & veri fundamentaliter in ordine ad aliud verum, quod ex ipso tanquam ex materia, & ex cognitione reflexa tanquam ex forma constituitur.

Verum fundamentaliter, quod est obiectum intellectus, est intelligibilitas obiectiua, & intrinseca communis omni enti siue reali, siue rationis cum ipso formaliter identificata. Hæc intelligibilitas in predicato animalis est formalitas ipsa animalis, & in rationali ipsa rationalis formalitas, quia intelligibilitas intrinseca est virtus, quam habet entitas terminandi intellectiōnem, quam habet quolibet predicatum per eandem formalitatem, per quam constituitur; rationale enim (idem est de quacunque alia formalitate, seu physica entitate) per se formaliter, & secundum eandem formalitatem rationalem cognoscitur; ergo secundum eandem formalitatem terminatur cognitio: ergo secundum eandem formalitatem est terminatum cognitio: ergo secundum eandem formalitatem habet cognoscibilitatem. Dixi cognoscibilitatem intrinsecam esse obiectum intellectus, quam modò explicauī, quia cognoscibilitas extrinseca addit supra cognoscibilitatem intrinsecam intellectum potentem versari circa illam intellectiōnem actibus, quia intrinseca cognoscibilitas cognosci nequit sine intellectu potente intelligere, ac proinde non dicitur absolute obiectum intelligibile ex defectu intelligibilitatis extrinsecæ, donec intelligatur virtus intellectiua, sicut non dicitur res potens produci donec intelligatur principium potens illam producere, à quo entitas per se ipsa intrinsece possibilis, extrinsece possibilis dicitur

PUNCTUM III.

An intellectus possit plura, vt plura eodem actu cognoscere, etiam ex motibus diuersis.

Negat P. Suarez 1. de fide disp. 3. sect. 9. Affirmat Huetadius disp. 5. sect. 7. cum S. Thoma. 1. part. quæst. 3. artic. 9. & quæst. 8. art. 1. Arriaga disp. 8. sect. 10. Ego meam sententiam aliquibus propositionibus breuiter explicabo.

§. I.

Propria sententia explicatur.

PRIMA CONCLUSIO. Potest intellectus simul plures habere actus, quibus obiecta inter se diuersa, disparata, & opposita simul percipiat. Hæc propositio apud omnes ferè Doctores certa est, illam præmitto propter Durandum, asserentem non posse intellectum simul se pluribus actibus exercere, quod falsum esse sic probō. Intellectus discurret inferendo vnum ex alio, & assensum consequentis infert ex antecedenti: ergo simul percipit antecedens, & consequens per diuersos actus. Probo consequentiam: Non potest inferri vnum ex alio quin sint duæ cognitiones; vna illata, alia ex qua, vel ex cuius obiecto altera inferatur; nihil enim potest ex se ipso realiter inferri: insuper hæ duæ cognitiones debent esse simul, quia ex cognitione actu non existenti, nihil potest actu inferri: ergo vt inferatur consequens ex antecedenti debet coexistere antecedens, & consequens: ergo debent esse simul duæ cognitiones in eodem intellectu. Confirmat eandem conclusionem notissima experientia, quam quisque habet, se de rebus distinctis, & oppositis simul cogitare, simulque percipere obiecta diuersa per media formaliter diuersa; quæ cognitiones inter se longè diuersas gignunt.

SECUNDA CONCLUSIO. Intellectus potest plura obiecta eiusdem omnino rationis materialis, & formalis, etiam si inter se nullam habeant connexionem, eadem indiuisibili cognitione apprehendere. Probo: Possum ego per vnum actum dicere, omnes homines, quos modò video in hoc gymnasio, habent pileum: ergo possum plura vt plura etiam disparata per eundem actum cognoscere. Probo consequentiam: quando dico, omnes homines, qui sunt

funt in hoc gymnasio, non illos apprehendo per modum vnius, aliis non omnes homines; sed homo, qui est in gymnasio, dicerem: ergo tunc apprehendo plures homines ut plures, & ut distinctos: ergo apprehendo eodem actu obiecta disparata. Probo consequentiam: Petrum habere pileum, & Ioannem habere pileum, sunt obiecta, quæ nullam connexionem, neque oppositionem habent inter se: ergo per eundem actum possunt plura obiecta disparata ut plura cognosci.

4 TERTIA CONCLUSIO. Plura obiecta materialia specie distincta possunt cognosci eodem actu, si obiectum formale illorum sit idem. Exempli gratia: mysterium Trinitatis, & mysterium Incarnationis possunt credi eodem actu propter eandem auctoritatem Dei reuelantis, siue eadem siue diuersa reuelatione. Ratio est, quia obiectum formale propter quod hæc duo obiecta materialia cognoscuntur est vnum saltem in specie: ergo potest terminare eundem numero actum, distinctio enim obiectorum materialium nullam inducit repugnantiam in illis, ex qua non possint eundem numero actum terminare.

5 QUARTA CONCLUSIO. Potest intellectus eodem actu attingere obiecta materialia, & formalia specie distincta, si hæc obiecta nullam in se habeant oppositionem radicalem, neque formalem. Probatur hæc conclusio: In communi sententia, in Angelo dantur species vniuersales, efficienter representatiuæ plurium obiectorum: v.g. hominis, & equi: ergo potest dari species expressa intuitiua formaliter representatiua hominis, & equi: ergo potest dari species expressa, seu cognitio essentialiter respiciens obiecta formalia specie distincta. Probo consequentiam: In cognitione intuitiua obiectum formale, & materiale non distinguuntur: sed cognitio intuitiua, quæ Angelus cognoscit hominem, & equum habet obiecta materialia specie distincta ergo formalia: respectu cognitionis intuitiue non distinguuntur obiecta materialia, & formalia, quæ immediate terminant cognitionem, dixi in Logica ubi de obiecto in communi disputauit, rationem ibi explicui, & iterum hic modò attingo: obiecta materialia intuitiue cognita cognoscuntur in se, & propter se: ergo sunt etiam obiecta formalia, quidquid enim in se, & propter se cognoscitur rationem habet formalis obiecti: obiecta intuitiue cognita cognosci propter se probatur: Intellectus non mouetur ad cognitionem huius obiecti propter aliquid, quod prænouerit, aut cognoscat eadem cognitione, quia cognitio intuitiua obiecti, neque præsuppositiue, neque concomitanter dicit cognitionem alius obiecti: ergo tantum mouetur intellectus ad hanc cognitionem propter ipsummet obiectum intuitiue cognitum, quod per se apparet intellectui ut verum.

6 QUINTA CONCLUSIO. Intellectus potest tendere in idem materiale obiectum propter duo motiua formalia, vnum scientificum, hoc est, ex quo conclusio euidenter inferatur; aliud opinatiuum, hoc est, ex quo præcisè sumptum conclusio probabiliter tantum potest inferri. Probo hanc conclusionem: Intellectus potest deducere conclusionem ex quocunque ex his antecedentibus, in ipsa illatione, ex utroque nulla apparet specialis difficultas, neque inconueniens aliquid: ergo poterit intellectus illationem vnius consequentis ex duplici illo motiua deducere. Antequam probem in hac illatione nullam esse speciale difficultatem, neque inconueniens aliquid explicanda est sexta conclusio ex qua difficultas, quæ in hac poterat esse facile dissoluetur.

7 SEXTA CONCLUSIO. Cognitio deducta circa aliquod obiectum ex aliquo principio euidenti, quod in actu primo illam adæquate valebat inferre, & ex alio probabili, non esset formidolosa, & euidentis seu certa certitudine intuitiua; sed tantum euidentis. Conclusionem esse euidentem certum est, quia inferitur ex præmissis certis & euidentibus, cum quibus habet strictissimam connexionem: ergo certè, & euidenter ex illis inferitur. Non esse formidolosam, seu capacem formidinis sic probo: assensus formidolosus est, cum quo componi potest formido de aliquo obiecto, qui non potest subiectum ita reddere certum certitudine in hæsiua, ut non possit aliquam suspensionem habere, forsan obiectum aliter se habere ac ipse iudicat: sed assensus deductus ex præmissis probabilibus, & euidentibus non potest componi cum hac formidine, & intellectum ita securum reddit de veritate obiecti, & certum certitudine in hæsiua, ut in nullam suspensionem oppositi cado valeat: ergo assensus ille non est formidolosus.

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. II.

Dices posse habere hanc formidinem ex vi vnius motiui scilicet probabilis, & non ex vi motiui euidentis, & ita assensum ex vno motiua esse probabilem, & ex alio euidentem. Contrà huic assensui per suam entitatem repugnat formido: ergo non est capax coniungi formidine; ergo ex nullo motiua capacitatem habet, ut coniungatur cum formidine; quidquid enim in se actus non habet, ex nullo capite potest habere. Vnum est verum in hac re, quod fessellit asserentes actum ex vno capite posse esse formidolosum, & alio certum, scilicet obiectum opinatiuum non inducere certitudinem, & euidentiam in actu ratione cuius opponitur cum formidine, quia ex se tale est illud opinatiuum obiectum, ut nunquam ex illo euidentis deducatur actus, nisi ab alio motiua scientifico eleuaretur ad talem actum specificandum, ac proinde ex illo motiua potest dici actum non habere incapacitatem, ut coniungatur cum formidine, non tamè potest dici habere capacitatem, quia ut dixi illam in se non habet: sicuti quando duo principia concurrunt, vnum spirituale, & aliud materiale ad effectum spirituales producendum, effectus spiritualis secundum se totum spiritualis est, & à nullo principio est materialis, potest tamen dici non esse spirituales ex principio materiali, hoc est, non trahere spiritualitatem, quam habet ex illo principio materiali formaliter loquendo, quia principium materiale tale est, ut ex illo effectus materialis euaderet, nisi eleuaretur alio comprincipio spirituali ad effectum secundum se totum spirituales producendum. Sic duplex obiectum, vnum scientificum, & aliud opinatiuum in eundem actum influunt incapacitatem formidinis, deducta incapacitate formaliter ex motiua scientifico, & tantum materialiter ex opinatiua, quatenus eleuato alio comprincipio scientifico.

8 SEPTIMA CONCLUSIO. Potest intellectus ferri eodem actu in duo obiecta materialia inter se disparata, in vnum propter motiua scientificum, in aliud propter motiua opinatiuum; exempli gratia: Habeo ego præmissas, ex quibus euidenter infero dari materiam primam, & alias, ex quibus probabiliter inferitur præsentiam quantitatis esse accidentis superadditum: possum ego per eundem actum iudicare dari materiam, & præsentiam quantitatis esse accidentis distinctum propter præmissas vtriusque consequentis illati per eandem numero cognitionem ex diuersis principiis, cum quibus probabiliter quodlibet ex consequentibus connectitur. Probo hanc conclusionem: Intellectus potest attingere obiectum formale opinatiuum, & obiectum materiale scientificum in eodem ad idem obiectum materiale cognoscendum: ergo potiori ratione poterit illa in ordine ad diuersa obiecta materialia pertinere, quia minorem oppositionem inter se habent in ordine ad diuersa obiecta materialia, quam in ordine ad idem materiale obiectum.

9 OCTAVA CONCLUSIO. Actus attingens duo obiecta materialia, vnum propter motiua opinatiuum, & aliud propter motiua scientificum erit formaliter euidentis, & formaliter formidolosus: euidentis respectu obiecti deducti ex præmissis euidentibus; & formidolosus, respectu obiecti deducti ex principiis opinatiuis. Actum esse euidentem respectu consequentis illati ex principiis euidentibus ex conclusione præcedenti inferitur, imò certius est hunc actum fore euidentem respectu obiecti illati ex principiis euidentibus quem ita futurum actum, de quo id probauit conclusione præcedenti, quia hoc obiectum deducitur ex principiis euidentibus ex se inducentibus euidentiam consequentis illati, & ex illis tantum inferitur, & non ex aliis probabilibus, quæ tantum inducunt aliud obiectum materiale, quod simul cum illo inferitur: ergo ex præmissis adæquatis, ex quibus ducitur, euidentiam necessariò trahet actus, de quo in præsentia conclusione diximus esse euidentem ex præmissis, ex quibus inadæquate inferitur, quia idemmet indubitable obiectum deducitur ex præmissis certis, & euidentibus.

10 Secundam partem conclusionis, scilicet actum non fore euidentem, sed tantum formidolosum respectu consequentis illati ex præmissis tantum opinatiuis sic probo. Præmissæ opinatiuæ ex se non valent inducere certitudinem & euidentiam: ergo ex illis præcisè non poterit actus esse euidentis respectu sui obiecti: non ex aliis, quia non ex aliis, sed ex his tantum inferitur consequens: ergo ex nullis præmissis actus respectu huius consequentis erit euidentis: ergo respectu illius tantum erit formidolosus.

Confirm.

Confirmatur: præmissæ probabiles quotiescunque non coniunguntur cum aliis evidentibus inducunt assensum formidolosum: sed hæc præmissæ probabiles non coniunguntur cum aliis in ordine ad consequens, quod ex illis desumitur: ergo in ordine ad illud inducunt assensum formidolosum. Dices coniungi cum aliis in ordine ad actum, quo infertur. Verum est, sed nihil tua interest, quia ex eo quod coniungantur in ordine ad actum, tantum infertur ex illa coniunctione ratione præmissarum inducentium evidentiam, actum fore evidentem, & incapacem formidinis in ordine ad consequens illarum ex illis principiis; non verò in ordine ad consequens, quod ex illis principiis evidentibus non infertur sed tantum ex opinatiuis.

12. **NONA CONCLUSIO.** Assensus circa idemmet obiectum ex præmissis certis, & evidentibus, & ex aliis opinatiuis, quem diximus esse certum & evidentem, & non formidolosum, est assensus scientificus & opinatiuis: Probo. Assensus scientificus est qui infertur ex præmissis certis, & evidentibus: assensus opinatiuis est qui infertur ex præmissis opinatiuis: sed inducentibus tantum assensum formidolosum; sed talis actus inferretur ex utrisque præmissis: ergo esset assensus scientiæ, & opinionis: antecedens est definitio vulgo tradita conclusionis scientificæ, qua sic cognitio scientifica describitur: *Assensus deductus ex primo principii certis & evidentibus: ergo eodem modo opinatiua conclusio definienda est: quæ deductur ex principiis ex se formidolosis, & non certis*: Minor est suppositum questionis: consequentia est legitima. Neque refert illum assensum non esse formidolosum, quia non est de ratione actus opinionis capacis formidinis, sed tantum procedere ab aliquo obiecto, quod ex se sit indutius assensus formidolosi, quem induceret, si per se tantum concurreret ad inferendum assensum, & non cum aliis præmissis, ex quibus actus certus, evidens, incapaxque formidinis euadit. Non esse de ratione opinionis actum in se esse capacem formidinis, rursus confirmabitur ex conclusione vndecima, in qua dicam non esse de ratione actus fidei esse obsecurum; sed tantum, procedere ex motiuo aliquo, quod claritatem non inducat, & quod obscuritatem induceret, si cum alio actu deducitur argumentatio.

13. **DECIMA CONCLUSIO.** Actus, qui fertur in duo obiecta, in vnum ut connexion tantum cum principiis probabilibus, & in aliud ut connexion cum præmissis evidentibus est opinatiuis, & non scientificus respectu obiecti deducti tantum ex principiis probabilibus: & est scientificus, & non opinatiuis respectu obiecti deducti ex principiis tantum certis, & evidentibus. Hæc conclusio ex immediatè traditis legitime constat.

14. **VNDECIMA CONCLUSIO.** Potest intellectus per eundem actum attingere idem obiectum materiale ex præmissis certis, & evidentibus, & propter motiuum fidei, ita ut actus dependeat inadæquatè ex motiuo scientifico, quod per se solum actum scientificum induceret, & ex motiuo fidei etiam inadæquatè, quod similiter posset secluso scientiæ motiuo adæquatè mouere ad actum fidei: & actus ab his motiuis dependens erit actus scientificus, & actus fidei diuinæ. Hanc conclusionem tradunt P. Mol. l. p. quæst. 1. art. 1. disp. 1. ver. *dicendum itaque est*. P. Vasquez tom. 3. disput. 1. quæst. 1. punct. 4. §. 2. & Hurtadus Salmanticensis secunda secundæ tom. 1. disput. 31. sect. 2. cum Capreolo, Scoto, & Aragonio, quos refert, & impugnatur P. Luisius de Torres tom. de fide disp. 12. dub. 1. Prior pars conclusionis apertè deducitur ex conclusione quinta, ubi dixi posse intellectum assentire per eundem actum eidem indiuisibili obiecto ex motiuo opinatiuo, & scientifico, quam iterum fulcio paritate causarum physicarum: sicut enim duæ virtutes specie distinctæ, quarum qualibet actionem diuersæ speciei haberet, confluunt ad tertiam actionem per modum vnius principij indiuisibilis exercendam, sic duo motiua, quorum vnum concurreret ad actum scientiæ, & ad actum fidei alterum, possunt indiuisibiliter ad actum aliis tertie speciei concurrere, qui formaliter sit actus fidei, & actus scientiæ, & distinctus in specie ab actu tantum scientifico, & alio tantum opinatiuo.

15. **POSTERIOREM partem conclusionis, scilicet talem actum futurum esse actum scientiæ, & fidei probandum est eadem ratione, qua probaui actum dependentem à motiuo opinatiuo, & scientifico esse actum scientiæ, & opinionis, & quod specialem posset habere difficultatem, scilicet il-**

lum actum futurum esse actum fidei, iterum probo. Actum ille esset propter auctoritatem Dei reuelantis, & ab hoc motiuo traheret supernaturalitatem: ergo esset actus fidei. Probo consequentiam: actus quo quis assentitur propter auctoritatem dicentis non potest non esse actus, quo illi dicenti credatur: ergo non potest non esse actus fidei.

DVODECIMA CONCLUSIO. Potest intellectus per eundemmet actum assentiri duobus obiectis materialibus, vni ex præmissis certis, & evidentibus & alteri propter auctoritatem dicentis, & tunc talis actus erit scientificus respectu obiecti deducti ex præmissis evidentibus, & actus fidei respectu alterius obiecti, cui assentitur propter auctoritatem dicentis, exempli gratia: habeo ego principia certæ, ex quibus euidenter infertur dari materiam primam in homine, reuelatum est in homine esse animam rationalem, & hanc esse veram formam: possum ego iudicare eodem indiuisibili actu in homine esse materiam, & esse formam, & respectu existentie materie actus ille erit actus scientiæ & respectu existentie forme erit actus fidei diuinæ. Hæc conclusio ex 8. & 9. conclusione manifestè infertur, & eodem modo probanda est, quo probaui, posse intellectum per eum actum ferri in vnum obiectum scientificè, & in aliud opinatiue.

DECIMATERTIA CONCLUSIO. Eodem modo, quo possunt in eodem actu componi motiua scientiæ, & opinionis, atque scientiæ & fidei, possunt motiua opinionis & fidei adunari, siue in ordine ad idem obiectum materiale siue ad obiecta materialia distincta.

DECIMAQUARTA CONCLUSIO. Ex medio fidei humanæ, & diuinæ potest esse vnus indiuisibilis assensus circa idem obiectum materiale. Ita Ochamus quodlib. 3. q. 7. Gab. in 3. dist. 23. q. 2. Potest etiā intellectus ex his duobus obiectis assentiri duplici obiecto materiali per eundem actum, qui actus erit fidei humanæ respectu obiecti reuelati ab homine, & fidei diuinæ respectu obiecti à Deo reuelati. Probata est eadem conclusio eadem ratione, quā similes probaui de actu respiciente motiuum opinionis, & scientiæ.

DECIMAQUINTA CONCLUSIO. Omnibus obiectis quibus potest intellectus assentiri ex duplici motiuo per eundem actum, potest assentiri per duplicem actum simul existentem, quorum quilibet speciale motiuum respiciat. Exempli gratia, dixi posse intellectum assentiri eidem obiecto materiali per eundem actum ex motiuo fidei, & ex motiuo scientiæ poterit per duplicem actum, vnum respicientem motiuum fidei, & alterum respicientem motiuum scientiæ eidem obiecto assentiri, & sic de aliis. Hanc conclusionem trado hic, quia ad eandem materiam spectat, & ex præcedentibus infertur manifestè, quia intellectus potest elicere duos actus simul si inter se non repugnent, ut probaui conclusione primā. Deinde motiua, quæ non repugnant in ordine ad eundem actum, minus in ordine ad diuersa repugnabunt: ergo hæc vniuersalis erit veritas intellectus poterit ferri per diuersos actus in diuersa motiua in specie ex se sufficientia actum specificare seorsim sumpta, quotiescunque potest ferri in illa per eundem actum.

DECIMASEXTA CONCLUSIO. Non potest esse idem actus inuitiuus, & fidei diuinæ, neque humanæ, neque opinatiuis aut scientificus scientiæ abstractiua, & intuitiua. In hanc conclusionem conspirant omnes Doctores, cuius ratio facilis est. Actus fidei opinatiuis, & scientificus scientiæ abstractiua includunt rationē cognitionis abstractiua, quæ rem non immediatè, sed instar alterius attingit: actus intuitiuis attingit obiectum immediatè in se ipso, sed potest idem actus attingere obiectum immediatè in se ipso, & mediatè ad instar alterius, & simul esse intuitiuis, & abstractiuis: ergo non potest esse simul intuitiuis, & fidei &c. Actum fidei scientificum non intuitiuum & opinatiuum, esse cognitiones abstractiuas sic probo. Omnes actus supponunt cognitionem formalem obiecti reuelationis, v. g. aut præmissarum, ratione cuius determinantur ad assensum obiecti materialis: ergo non immediatè feruntur in illud, sed mediatè, quod non habet intuitiuis actus, qui immediatè rem attingit. Specialiter probatur de actu fidei. Actus fidei, ut eruditè probat ex Patribus Ludouicus Torres 2.2. disp. 8. dub. 5. de obiecto non viso, quod saltem debet intelligi non viso ex vi eiusdem actus: ergo non potest esse actus fidei viso, seu cognitio intuitiua obiecti. De scientia abstractiua nomen ipsum probationem præ se fert, quod dicit cognitionem abstractiua obiecti potiori ratione de actu fidei idem dicendum est.

DECIMASEPTI

21 DECIMASEPTIMA CONCLUSIO. Ex natura rei potest idem intellectus habere simul actum scientiæ intuitivæ, & actum distinctum fidei de eodem obiecto. Ita P. Suarez 3. part. tom. 2. disp. 19. 2. 2. in fine, P. Valentia 2.2. disput. 1. q. 1. p. 4. & q. 1. p. 1. Hæc conclusio ex dictis supra, ubi probavi esse quid positivum, actum fidei esse obscurum legitime deducitur, quia obscuritas fidei, & claritas scientiæ intuitivæ non opponuntur, ut habitus & privatio: imò etiam si opponerentur, cum diversis actibus inhaerent, inter se non repugnarent. Recognosce dicta supra de obscuritate actus fidei. Poriori ratione dicendum est posse componi actum fidei, cum actu scientiæ abstractivæ. Ita Suarez, Valentia, & plurimi ex antiquis apud Torres supra, dubio, sexto. Hanc conclusionem tradidi propter legitimam illationem, quam habeat cum antecedentibus, & maximam cum illis affinitatē, licet sub præfixo titulo huius puncti legitime non caderet, ne alibi nova opera longius illā tradere cogerer.

§. II.

Argumenta soluta.

22 Obiic. primò contra conclusionem, quā diximus per eundem actum posse cognosci diversa obiecta materialia, & præcipuè contra illam, in qua diximus posse cognosci diversa obiecta materialia, vñ ex motu fidei divinæ, & alterum ex motu opinionis, vel fidei humanæ: Si res ita se habeat poterit idem actus esse verus & falsus quia poterit conformari cum vno obiecto, & disconformari cum alio, quod absurdum videtur. Rursus poterit obijci alio modo: si per eundem actum assentiri Deo dicenti Verbum esse incarnatum, & homini dicenti se in navali prælio cum inimicis fortiter dimicasse, actus fidei poterit esse falsus: consequens est absurdum: ergo antecedit. Consequentiam proba. In actu per eandemmet entitatem affirmatur Verbum esse incarnatum, & hunc hominem in navali prælio dimicasse, hoc secundum obiectum non ita se habet, sicuti repræsentatur: ergo totus actus evadit falsus. Probo consequentiam: quotiescunque per aliquem actum plura affirmantur ex defectu vnius non existens eodem modo sicuti repræsentatur per actum, totus actus evadit falsus, sicuti quādo ego dico omnes homines currunt, ex eo præcisè quod vnus non currat, actus totus est falsus, & non dicimus esse verum quatenus conformatur cum currenribus, & falsum quatenus disconformatur cum non curren- te: ergo eodem modo actus ille, qui duo respicit obiecta per eundem indivisibilem respectum ex parte actus etiam per diversa motiva ex parte obiecti, absolute erit falsus ex eo quod non conformetur cum illorum altero: ergo actus fidei erit falsus quod dici nequit.

23 Vtramque obiectionem simul proposui, etsi in opposita absurda nostra conclusio ex illis deducatur, quia eadem doctrinā utriusque faciendum est satis. Motu dupliciter posse iudicium aliquod tēdere in duo obiecta materialia, & illa affirmare: primò affirmando coniunctionē utriusque; seu utriusque obiecti indivisibiliter per modum vnius, & hac ratione tēdit intellectus in duo obiecta materialia per vnicum actum quando in verumque tendit ex eodem motivo; sic quādo ego ex eodē motivo affirmo omnes homines currere, partialia obiecta huius iudicii per modum vnius, & indivisibiliter significantur eodē actu, sed quia actus illa respicit, quoad affirmationē, & negationē ac si essent vnicum obiectum. Quādo hac ratione obiecta materialia diversa eodē inspicuntur actu, ut actus sit verus, necessum est obiectum secundum omnes illius partes illi esse conforme, & ex defectu cuiuslibet actus erit absolute falsus: sic quando dico ego: omnes homines currunt, ex eodem motivo iudicans Petrum currere, & Ioannem currere, erit verus si omnes currant, & vno tantummodo decepto erit falsus.

24 Alio modo potest tendere actus in duo obiecta materialia, non collectivè, siue per modum vnius, sed quasi disparatè in ordine ad affirmationem, ita ut eodē modo illa obiecta affirmantur per eundem actum, ac affirmarentur per actus diversos. Hac ratione tendit intellectus in duo obiecta per eundem actum, quotiescunque assentitur duobus illis obiectis ex motu speciei distinctis, quia cum motiva formalia specie distinguantur & materialia obiecta sunt distincta, eadem ratione fertur intellectus in illa in ordine ad affirmationem, & negationem, ac illa affirmaret, & negaret per diversos actus, quia diversa est ratio, quæ movet ad affirmationem vnius, à ratione, quæ movet ad af-

Franc. de Quicquid, Philosoph. Tom. 11.

firmationem alterius. Quando intellectus ita fertur per eundem actum in hæc obiecta, actus dicitur verus ex conformacione, quam habebat cum vno obiecto; & falsus, ex disconformacione, quam habebat cum alio, conformis vni obiecto, & disconformis alteri, vel habens duplicem conformitatem cum utroque, si verumque obiectum ita se habet, sicuti repræsentatur per actum, quia hic actus eodem modo repræsentat hæc obiecta, ac si esset duplex distinctus: sed si esset duplex actus, quilibet haberet veritatem, & falsitatem distinctam, ita ille actus habet veritatem, vel falsitatem inaduatè distinctam respectu diversorum obiectorum, & ita potest esse verus respectu vnius obiecti, & falsus respectu alterius, præcipuè in sententia, quæ veritatem, & falsitatem actuum in extrinseca denominatione constituit, sicut enim eadem quantitas indivisibiliter sumpta potest esse æqualis huic, & inæqualis illi, sic idem actus intellectus potest esse conformis huic obiecto, & disconformis illi.

25 Ex his utraque obiecto faciliè dissolvitur. Ad primam, Respondeo actum respicientem diversa obiecta materialia ex eodem motivo non posse esse verum, & falsum, sed absolute esse verum, vel falsum, & sic actus, quo dico, omnis homo currit, absolute erit verus, vel falsus, & non poterit partim veritatem, partim falsitatem habere. Ad secundam, Respondeo actum; quo ego credo obiectum revelatum à Deo, & aliud obiectum revelatum ab homine, necessariò esse verum quatenus est actus fidei divinæ in ordine ad obiectum revelatum à Deo, & posse falsum esse quatenus est actus fidei humanæ respectu obiecti revelati ab homine. Neque inconueniens est concedere actum, qui est fidei, posse esse falsum, non quatenus est fidei, neque respectu obiecti revelati à Deo, quia secundum hanc rationem infallibiliter est verus; sed quatenus est opinativus, & non fidei.

26 Obiic. Actus scientiæ est clarus, & evidens: actus fidei est obscurus: ergo non possunt esse in eodem subiecto, quia clarus, & obscurus non possunt in eodem subiecto reperiri. Apprehendunt claritatem, & obscuritatem instar lucis, & tenebrarum, quæ obiecto iam constituto contingunt, qui multum à re distant, claritas enim, aut obscuritas non sunt accidentia positiuè, neque negatiuè superaddita actibus intellectus, sed eademmet substantia actus identificata cum illis æquè positiua in actu obscuro, & in claro, claritas enim est ipse actus expressus, qui per se ipsum obiectum apertè intellectui proponit, & obscuritas est idē actus repræsentans obiectum involutè in se non habens expressionē illam, quā habet actus clarus, quod in illo quid positivum est, etiā per negationē explicetur: sicuti in homine quid positivum est non esse equum, quia per eandem formalitatem, per quā constituitur homo, constituitur non equus, quod est valde distinctum à negatione equi: ego enim sum non equus; non tamen sum negatio equi; & quantitas est non lux, non tamen est negatio lucis, & ita possunt in eodem subiecto convenire, & aer est subiectum lucis, & est subiectum quantitatē quæ est non lux: ita intellectus informatus actu scientiæ etiam intuitivæ est informatus luce, seu expressione, & informatus simul actu fidei circa idem obiectum, est informatus non luce, hoc est, actu quodam, qui non est lux, seu expressio ita clara sicuti est actus scientiæ: non tamen est informatus luce, & negatione lucis, & ita hæc claritas, & obscuritas rectè possunt in eodem subiecto reperiri, quia non privatiuè opponuntur, sed sunt duæ formæ quarum vna est expressio, & claritas obiecti, & alia in se talem expressionem non habet, & ita rectè in eodem subiecto componentur, sicuti componentur lux, & quantitas, quarum vna est claritas, & alia non claritas, id est entitas distincta à claritate: eodem enim modo dicitur actus fidei obscuritas intensionalis respectu intellectus ac potest dici quantitas obscuritas realis respectu subiecti, & non alio, quia sicut quantitas ex se claritatem non affert subiecto, licet non opponatur cum claritate distincta ab ipsa eidem obiecto inhaerente, sic actus fidei ex se non affert claritatem intellectui, neque opponitur cum claritate distincta ab ipso actu, qui illam affert.

27 Sed age iam: Do claritatem & obscuritatem esse quid positivum, & negativum actibus superadditū, adhuc optimè possent actus fidei, & scientiæ reperiri in eodem subiecto, quia claritas, & obscuritas non subiectantur immediatè in intellectu, sed in actibus, ac proinde haberent diversa

diuersa subiecta immediata: quod autem haberent idem subiectum mediatum, vel remotum inconueniens non est, de facto enim quantitas in communi sententia est informata luce, & albedo habens comune subiectum cum quantitate non est informata luce, quo fit, ut eadem materia prima sit subiectum quantitatis informatae luce, & ut media quantitate lucem recipiat & media albedine negationem lucis absolute non habet, sed non habet ex vi albedinis, seu media albedine. Sic contingeret si claritas, & obscuritas distinguerentur ab actu scientiae, & fidei, & hic obscuritas, ille claritate afficeretur, intellectus medio actu scientiae luce informato claritate haberet, & medio actu fidei lucem non habente, haberet negationem illius lucis, quia carebat actu fidei, non illius ut absolute existens, & recepta remote in intellectu, sed illius ut recepta ex vi actus fidei seu medio fidei actu. Hec ad soluendum argumentum petuntur a claritate, & obscuritate actuum fidei, & scientiae, quo probare intenditur hos actus inter se distinctos non posse in eodem subiecto reperiri. Ad obiectionem, quae ex eadem claritate, & obscuritate desumitur ad probandum non posse eundem actum esse fidei, & scientiae, alia debet adhiberi solutio, quam simul cum obiectione subijcio.

28 Obiic. 3. Idemmet indiuisibilis actus non potest esse clarus, & obscurus, etiam si obscuritas sit quid positium, & ita dicatur, non quia dicat priuationem claritatis, sed quia dicit entitatem quandam positium, quae claritas non est, sicuti quantitas dicitur entitas positua, quae non est lux, quia eadem entitas non potest esse claritas, & non claritas, homo, & non homo: ergo idemmet indiuisibilis actus non potest esse clarus, & obscurus: ergo non potest esse actus scientiae, & fidei. Probo consequentiam: actus fidei debet esse obscurus, actus scientiae debet esse clarus, idemmet actus non potest esse clarus, & obscurus: ergo non potest esse actus fidei, & scientiae.

19 Si procedat obiectio respectu actus respicientis duo obiecta, vnum ex motu fidei, aliud ex praemissis scientificis, adhuc actus potest dici clarus, & obscurus, sicuti dicitur evidens, & formidolosus actus qui fertur in duo obiecta, in vnum ex praemissis evidentibus, & in alterum ex probabilibus, ut probauimus conclusionem octauam, quia recte potest dici actus clarus respectu huius obiecti, & non clarus respectu illius obiecti, licet absolute dici nequeat clarus, & non clarus, quod enim respectu alicuius clarum est, non potest absolute dici non clarum, recte tamen respectu alicuius obiecti potest dici non clarum, in quo nullam exitum posse difficultatem reperiri, quia certum est plures cognitiones secundum eandemmet entitatem indiuisibilem ferri in duo obiecta diuerso modo, in vnum propter se, & in alterum non propter se, sed propter aliud: in vnum expresse, & in alterum non expresse, sed confuse: in vnum immediate, & in alterum non immediate, sed mediate. Procedere debet obiectio, ut aliquam speciem difficultatis praeseferat de eodem actu respiciente ex motu fidei & scientiae idem indiuisibile obiectum, habente respectu illius rationem fidei, & scientiae, & adhuc sic confecta facilem solutionem habebit. Persistunt aliqui dicentes adhuc illum clarum esse ex vno motu, & obscurum ex alio. Ita Arriaga supra, quod impugnauimus conclusionem sextam, ubi probauimus, non posse eundem actum esse formidolosum, & euidentem respectu eiusdem obiecti, etiam ex diuersis motu, quia etiam si motuum fidei non tribuat actui euidentiam, non ideo dicitur tribuere formidinem, quandoquidem euidentiam habet ex alio obiecto impossibilem cum formidine identificata cum actu: sic in nostro casu etiam si obiectum fidei non tribuat claritatem actui, si talis actus ex alio motu claritatem habeat, clarus absolute dicendus est, & non obscurus, alias hoc gymnasium luce a sole perfusum, obscurum dici poterit a catedra, quia ex illa lucem non habet, & ita posset dici clarum, & obscurum, clarum a sole, & obscurum a catedra.

30 Resp. actum fidei non exigere ex conceptu vniuersali actus fidei, esse actum obscurum, sed respicere obiectum motuum in actu primo ex se potens adaequate mouere, quod illi non tribuat claritatem, neque ab illo hanc vnquam habeat, sed talis natura, ut quotiescumque illud, & non aliud actus respexerit, omnino sine luce & obscurus euadat, quod habet actus fidei identificatus cum actu scientiae, qui motuum fidei respicit, a quo claritatem non trahit, sed tantum a motu scientifico, ita ut si solum motuum fidei,

& non scientificum respiciat, absque claritate, & obscurus euadat. Eadem est solutio adhibenda pluribus obiectionibus, quae sub eadem forma fiunt in diuersa materia contra conclusiones praecedentes, exempli gratia, actus fidei humanae, & actus opinionis sunt fallibiles: actus fidei diuinae est infallibilis: ergo actus fidei diuinae non potest identificari cum actu fidei humanae, neque cum actu opinionis. Resp. actus fidei humanae, & opinionis non esse essentialiter fallibiles absolute secundum se, sed tantum habere respectu naturae, ut si ex alio capite actus, qui illud respicit infallibilitatem non exhauiat, fallibilis necessarium euadat: quod habet actus fidei humanae, & opinionis identificatus cum actu fidei diuinae, a cuius motu infallibilitatem habet, quam non habere; sed potius fallibilitatem si tantum aliud motuum fidei humanae, vel opinionis respiciat.

Obiic. 4. Actus fidei est liber, & indiget affectu credulitatis, actus scientiae ex praemissis evidentibus est necessarius: sed idemmet actus non potest esse liber, & necessarius: ergo non potest esse actus fidei, & scientiae. Resp. concedendo priorem partem antecedentem videlicet actum fidei liberum esse, & distinguendo posteriorem: actus scientiae ex praemissis evidentibus est necessarius, quando ex his tantum deducitur, transeat: quando deducitur ex his, & simul respicit motuum fidei, nego. Quia praemissae evidentes non cogebant intellectum ad eliciendum actum respicientem ipsas praemissas, & motuum fidei, neque aliud quod caput erat, ex quo necessarius fuisset actus, ac proinde liber a voluntate imperatur, & ab imperio libero, a quo procedit liber euadit. Instabis: praemissae necessitatem intellectum ad aliquem actum circa conclusionem respicientem illas tanquam motuum, sed quando intellectus ex vi praemissarum, & ex motu fidei assentitur obiecto, non habet alium actum circa idem obiectum respicientem tantum praemissas: ergo ad actum respicientem simul motuum fidei, & praemissas evidentes, de facto praemissae intellectus necessitatur. Resp. praemissas habere connexionem cum actu respiciente praemissas, siue tanquam obiectum adaequatum, siue inadaequatum, & non posse esse sine aliquo illas respiciente tanquam vnico motuum, vel simul cum motu alio: non tamen habere virtutem, ut determinent intellectum ad actum respicientem ipsas, & motuum fidei, licet cum hoc illius exigentia esset expleta, & hoc existente esset sufficiens extremum suae connexionis. Ex quo fit, ut in actu primo tantum determinent intellectum, ut casu, quo voluntas non liber eliciat actum respicientem motuum fidei, & ipsas praemissas ad quem ipse non valent intellectum determinare, & cum illarum exigentia fuerit expleta, necessarium eliciat actum purae scientiae respicientem tantum praemissas, ad quem ipse possunt intellectum determinare. Ex quibus inferes casu, quo propositis praemissis, & motu fidei voluntas liber elicit actum respicientem vtrumque motuum fidei, & scientiae, cum quo praemissarum exigentia est expleta, praemissas in actu secundo ad nullum actum determinare, quia in actu primo tantum determinabant ad actum secundum ex vi illarum, casu quo voluntas non imperaret liber actum respicientem ipsas praemissas, & fidei motuum.

Obiic. 5. Motuum fidei, motuum opinionis, & motuum scientiae, quodlibet seorsim sumptum specificat actum distinctum specie ab alio: ergo non possunt simul duo illorum coniungi ad specificandum eundem numero actum. Confirmant aliqui praedictam obiectionem: Ex duabus speciebus non potest tertia alia resultare: ergo ex actibus provenientibus a diuersarum specierum specificatiuis non potest resultare actus vnus tertiae speciei seu idem numero actus habens vtramque rationem specificam, sicuti esse nequit idem numero indiuiduum quod sit homo, & equus. Respondeo, concessio primo antecedenti, & negando illius consequentiam: sepe enim ex commixtione duarum causarum resultat effectus specie distinctus ab illo, quem quilibet illarum seorsim sumpta produceret. Ad confirmationem dico non posse ex duabus speciebus oppositis resultare vnam tertiam, neque id contingere quod idem numero actus est fidei, & scientiae, quia ille actus non resultat, neque includit illam speciem, quam habet actus qui est purus actus fidei, neque illam quam habet actus, qui est purus actus scientiae, sed tantum habet praedicata quaedam vniuersalia fidei, & opinionis, quae vniocoe conueniunt praedicatis fidei, & scientiae, quae sunt diuisa in duobus actibus, quorum

quorum vnus est purus actus fidei, & alter purus actus scientiæ, & species infima, & forsan subalternā ab illis maximore differunt. Rem conuincet exemplum quod propono: Planta est viuens tantum vegetatiuum: Angelus est viuens tantum intellectiuum: Homo est viuens vegetatiuum & intellectiuum simul: ergo componitur ex planta & Angelo, & est species tertia resultans ex duobus oppositis: pessima consequentia: est enim diuersum vegetatiuum, & intellectiuum, quæ sunt in homine, qui vtroque gradu gaudet, à vegetatiuo, quod est in planta non habente alium gradū vitæ, & ab intellectu, quod est in Angelo hoc vitæ gradū tantum prædito. Sic in nostro casu, actus, qui semel est fidei & scientiæ, diuersam scientiæ rationem habet ab illa, quæ est in actu purè scientifico, & diuersam rationē fidei ab illa, quæ est in actu puro fidei. Ad vltimum, quod obicitur, non posse idem numero individuum esse hominem, & equum. Resp. voces has hominis, & equi desumptas esse ad significandas species atomas, quæ non possunt in eadem entitatem confluere, secus prædicata superiora, & vniuersalia ad quæ significanda sunt imposita hæc nomina, fides, & scientia, quia plures actus scientiæ dantur specie distincti, & similiter plures actus fidei, licet præcisè ex motiui formalis fidei specie non differant, possunt ex pluribus aliis capitibus specie differre.

33 Obicitur. Actus, qui simul habet rationem fidei & scientiæ est specie distinctus ab actu scientiæ puræ, & fidei puræ. ergo supponit diuersos habitus ab illis, quos supponit actus puræ fidei, & puræ scientiæ, & diuersum habitum acquisitū gignet in intellectu ab illis, quos alij actus distincti fidei, & scientiæ in intellectu reliquerunt. Resp. ad actū scientiæ ex motiui scientifico naturali nullū habitum requiri, quia vnus, vel alter actus scientiæ sine habitu necessario faciendus est in omniū sententia, quæ habetis acquisitos ex actibus præsuppositis oriri defendit; neq; in intellectu habitū acquisitum distinctum ab speciebus dari cum multorum Doctorum consensu dicam Contr. 1.4. Punct. 2. De habitu infuso fidei respondeo non dandū esse distinctum habitum pro actibus specie differentibus quando non differunt specie ex motiui supernaturali, quod respicit actus fidei: non enim multiplicantur habitus nisi per ordinem ad diuersa obiecta formalia, etiam si sub eodem formali obiecto plures actus specie distincti possint reperiri.

34 Obicitur. Cognitio intuitiua & actus fidei non repugnant inter se: ergo Beatus potest habere fidem de existētia Dei. Resp. Beatum ratione status non posse habere actum fidei, non verò præcisè propter impossibilitatem physicam inter actum fidei, & intuitiuam visionem.

PUNCTUM IV.

De Memoria.

1 Ari memoriam intellectiuium sentiunt contra Auerroen. 6. natur. p. 5. c. 6. omnes Philosophi, & Theologi cum Arist. lib. de memoria, & reminiscētia S. Th. 1. p. q. 74. Scot. in 4. dist. 4. sunt tamen nonnulli, qui asserunt memoriā tantum propriè conuenire sensui interno, & impropriè intellectui. Ita Ferr. 2. contra Gentes c. 7. Refertur pro hac sententia testimonium D. Thomæ ibi, & Scoti supra q. 5. Scot. autem, & Angelicus Doctor nullatenus hanc sententiam defendunt, sed communem, quam ex illis tota schola didicit, videlicet in intellectu dari propriè memoriā, quia vt postea probabo, propriè huic potentie, memoriæ actus conuenit, & proprius, quàm sensui interno.

2 Memoria vulgò dicitur virtus conseruatiua specierum obiectorum præteritorum, quæ propria est intellectus, quæ dixi ab anima non distinguam, verò conseruatio harū specierum ad intellectu agentē, vel possibilem, seu passibilem pertineat, quæstio est purè de nomine: melius cetero dici, pertinere ad intellectu possibilem, aut passibilem, quia ad hunc pertinet specierum vltimus, cuius vis est præcipuū constitutiuium memoriæ in actu primo, potius quàm virtus illarum conseruatiua, quia sicut memoria in actu secundo, seu actus memoriæ est actus intellectus procedens necessario ex speciebus relictis ab aliis actibus, sic memoria per modum actus primi erit intellectus quatenus potens cum speciebus, quas per actus antea actos acquisiuit, actum memoriæ producere. Neque tantum in mea sententia non distinguente potentias ab anima, dicendum est intellectu à memoria non distinguī, sed etiam in sententia, quæ intellectu & voluntatem, potentiam visuam, & auditiuam

Francisc. de Quiedo, Philosoph. Tom. II.

ab anima & inter se ipsas distinguit. Ita D. Thom. supra art. 7. & communiter omnes Doctores. contra Richard. in 2. dist. 14. q. 2. Ratio est, quia obiecta siue iam præterita, & prius cognita, siue futura, aut præsentia, eodem modo cognoscuntur, ac proinde ad eandem potentiam pertinent illarum cognitiones. Deinde quia virtutes cognoscitiuæ immediatè proponentes obiectum appetendum multiplicatur vnā cum appetitiuis: sed non datur duplex appetitus rationalis, vnus pro obiectis præteritis, & prius cognitis, aut amatis, & alius pro obiectis prius tactis, sed vnus pro omnibus: ergo non debent dari plures virtutes cognoscitiuæ, sed vna simplex, videlicet intellectus vnus pro his omnibus obiectis intelligendis.

Definit intellectus hanc memoriæ denominationem quatenus percipere potest obiecta prius cognita per species relictas ex prioribus actibus, sicuti alias sortitur denominationes in ordine ad alios actus. Potentia nuda secundum se, intellectus possibilis dicitur: instructa speciebus, intellectus in actu primo appellatur: Perfecta aliquo actu, intellectus in actu secundo vocatur: si hic actus sit simplex apprehensio, vel intuitio, non specialem notionem tribuit potentie: si sit actus, quo inferitur vnus ex alio, virtus intellectiua quatenus est in actu primo ad illum, discursus appellatur, hoc est, virtus discursiua in hoc sensu hominem quem apprehendimus, rectè vnus ex alio deducere, dicimus excellenti polere discursu. Idem actus secundus discurrendi eodem discursus nomine sæpe significatur, in hoc sensu rectam illationem à nobis factam in quocunque negotio discursum optimum appellare cōsueuimus. Idemmet intellectus ratio dicitur, quatenus ratiocinando ex principiis conclusiones colligit, cuius nomen commune est actui primo sub ratione modò assignata, & actui secundo, quo hic actus primus exercetur. Ratio, seu ratiocinatio versari potest circa res diuinas, & æternas præcticè in ordine ad mores, & speculatiuè contemplantio tantum, & sub vtraque ratione intellectus ratio superior dicitur. Versatur etiam eadem ratio, seu ratiocinatio circa res caducas, & humanas, & per respectum ad hæc obiecta ratio inferior nominatur. Diuisit etiam Arist. 6. Ethic. c. 1. animam in opinatiuam, & scientificam, ad hanc, ait, pertinere habitus scientiæ: ad illam actus opinionis, quæ denominationes intellectui conueniunt, quatenus conclusiones ex principiis certis, & euidentibus, & ex probabilibus tantum inducere potest. Eandem locutionem frequenter habet Aug. lib. 10. de Ciuitate Dei. Vltimò intellectiua virtus mens dici solet propter eminentiam, quam habet super alias potentias, item à metiendo, quia intellectum metitur conuenientiam & disconuenientiam, probitatem, & improbitatem rerum, & actionum. Conscientia non tam est denominatio potentie, quàm nomen actus. Conscientia enim dicitur actus, quo nostras actiones examinamus, illiusq; momenta bonitatis, aut malitiæ perpendimus, quas si malas, dissonantesque rationi comperimus resultat in voluntate remorsus, & dolor, qui conscientie vermis dici solet: si autē omnes rectas, sicuti decent virum probū, quies, & gaudium in animo nascitur. Vnde 2. Corinth. 1. ait Apostolus: *Gloria nostra est testimonium conscientie nostræ.* Actus hic conscientie appellatur, vulgò dicitur oriri à synteresi, quæ constitit in habitu, seu facultate, quā facilis intellectus redditur ad assentiendum principiis præcticis. Synteresis Latine idē sonat quod conseruatio, quia iudicio talis habitus plura sunt, conseruanda, vel quia illius munus est conseruare officiū rationalis naturæ. Aliquando conscientia cū hoc habitu confunditur & conscientia dicitur habitus, quo ex principiis præcticis nostras actiones metimur cum recta rationis regula, & de honestate & malitia illorum iudicium facimus.

Circa memoriæ actum conueniunt omnes respicere obiectum iam prius tempore cognitum. Est quæstio, an illud necessariò vt cognitum reflexè respiciat, vel an sufficiat illud quod antea cognouit cognitione repetita circa idemmet obiectum iterum directè cognoscere? Hurt. disp. 5. sect. 8. refert Vasquium asserentem 1. p. tom. 2. disp. 208. n. 1. omnem actum memoriæ esse actum reflexum; quam sententiam ferè omnes recentiores tribuunt Patri Vasq. quem attente legi pro studio erga tantum Magistrum & oppositā sententiā defendere clarissimè ex ipsius verbis constare existimo, quapropter miror tot recentiores, pluresque huius magistri studiosos valde, ita deceptos fuisse, forsan omnes vnus culpā, qui illū sinistrè primò est interpretatus cui reliqui Vasquium nullo modo, aut parum attentè le-

gentes crediderunt. Afferit P. Vasquez non num. 1. in quo nihil de hac re, sed 19. & 20. disputationis citatur: est memoria, seu recordatio rei praterite & prius cognite consideratio. Rei cognite dixit, non rei ut cognita, & postea impugnat non nullos afferentes memoriam fieri per speciem cognitionis praterite, & afferit non fieri per speciem cognitionis prateritorum, sed obiectorum prateritorum, quod probat, quia in sensu interno est memoria, & sensus internus reflexivus non est, ex quibus inferitur saltem memoriam sensitiuam non constitui à Vasquez in actu reflexo: posset idem inferri de memoria intellectiva, nam de utraque eisdem verbis loquitur, & vno eodem modo utramque explicat, & positiue afferit eadem ratione constituendam esse memoriam in intellectu, quā constituitur in sensu: illius sunt verba: Sicut in sensu defendere possumus rationem memorie, & recordationis sine specie cognitionis praterite, etiam si memoria sit cognitio rei praterite, & ut prius cognita eodem. explicare possumus in intellectu recordationem, & memoriam sine specie recordationis praterite. Fefellit Hurt. & recentiores alios illa particula etiam si memoria sit cognitio rei praterite, & ut prius cognita, per quam non significat Vasquez debere esse actum, qui feratur in rem formaliter ut cognitam reduplicando per particulam ut ipsam cognitionem; sed accidentia illa, quibus prius fuerat cognita, quod ipse Vasquez explicat verbis, quibus expresse docet actum memorie non esse reflexum; illius accipe verba: Nec tibi videatur superfluum labor, qui in mente tanti Doctoris percipienda impenditur. Sic Vasquez: Memoria in sensu hoc solo fit, quod rem prateritam cum eisdem circumstantiis temporis, & loci apprehendimus, sub quibus antea nobis cognita fuit. En rationem memorie, ut explicat Vasquius. Vides quomodo verbum ut quod reduplicat rem ut cognitam sensu à me intellecto explicet sic enim dicimus (Vasquius loquitur) rem illam cognoscere ut prateritam, & ut prius sensatam, aut cognitam. Nota eadem ratione dicere memoriam fieri in rem ut cognitam, & ut sensatam, & expresse dixisse memoriam sensus non esse reflexivam. Ex quo inferes non sensisse Vasq. actum memorie esse reflexivum, & si attentè legas illum referentem sententiam: quam impugnat, clarè cognosces impugnare Auctores afferentes memoriam fieri per actum reflexum. Sic illam refert: Dicitur vero nonnulli memoriam fieri in Angelis, & in nobis per speciem quamdam relictam ex cognitione praterita, hanc ut ex illa cognoscimus rem & cognitionem prateritam. Hanc dixi, non quia sententiā Vasq. sum amplexurus, sed ne circa tanti Magistri mentem communis error diutius grassaretur.

PRIMA CONCLUSIO. Omnis actus memorie est de obiecto iam cognito, & ex cognitione iam praterita procedens. Nullus ab hac conclusione discedet: actum memorie debere esse de obiecto iam cognito per se notum est; nullus enim dicit rem in se obiectum, cuius primam comparat notitiam, sed illud tunc primò discere, & noscere. Aliam conclusionis partem, videlicet debere actum memorie procedere ex cognitione praterita, æquè certam puto cum priori, quia cognitio tendens in hoc obiectum prius tempore cognitum omnino independentè à cognitione praterita tam ex parte principij, quàm ex parte obiecti, eodem modo se habet, ac si illa cognitio nunquam praterisset: ergo nihil habet speciale, ratione cuius possit dici memoria, præcessisse enim alteram cognitionem à qua nullam habet dependentiam proximam neque remotam, & quam nullo modo respicit ut obiectum, nimis extrinsecum est huic cognitioni. Idem confirmat communis loquendi modus, cum enim ex præsentia obiecti iterum noscimus quod prius tempore noneramus, non dicimur recordari, sed noscere, non enim est actus memorie librum legere, quem iam tempore præcedenti legeram, & percipere illa, quæ prius perceperam, & modò non perciperem, si iterum librum non legerem.

SECUNDA CONCLUSIO. Omnis actus memorie procedit ab speciebus relictis à cognitione praterita obiecti, cuius memoriam habere dicimur. Hæc conclusio est communis: illam docet Vasquez supra, Rub. lib. 3. de anima, tract. de intellectu possibili, q. 5. illam ex præcedenti deduco: actus memorie debet dependere à cognitione praterita, non proximè, quia nihil potest dependere proximè ab illo, quod non exiit: ergo remotè tantum, ergo media specie ab illa cognitione relictà. Dices dependere ab illa tanquam ab obiecto. esto. Ex hoc infero dependere ab illa tanquam à principio media specie, quia ideo recordor cognitionis praterite, quia ipsa speciem aliquam sui

reliquit in mente, neque aliud est caput, ex quo posset in intellectu excitari memoria prateriti obiecti, præter speciem procedere ab actibus intellectus, & non à phantasmatis probabo. Controv. 13.

TERTIA CONCLUSIO. Species impressa, à qua procedit actus memorie, non tantum est representatiua obiecti cogniti per priorem cognitionem; sed ipsius cognitionis memorieque actus non tantum fertur in obiectum præcognitum, sed in illud formaliter ut præcognitum, hoc est in obiectum, & ipsam cognitionem. Hanc conclusionem tradunt Doctores, quos impugnat Vasquez supra, quam sic probò. Species impressa, quæ cognoscitur obiectum prius cognitum, fuit producta à cognitione praterita: ergo est representatiua cognitionis iam praterite. Probo consequentiam: omnis species est representatiua obiecti quod naturaliter producit: sed illa species impressa producit à cognitione, ergo est virtualis representatio illius: ergo cum intellectu producat representationem formalem, siue speciem expressam, aut cognitionem illius, cuius est virtualis representatio: ergo cognitionis, à qua efficienter fuit producta: ergo actus memorie procedente ab hac specie non solum cognoscitur obiectum prius cognitum, sed ipsa cognitio praterita. Verge: actus intellectus relinquit in intellectu speciem impressam, non solum sui obiecti, sed etiam sui ipsius, quia non solum recordamur obiecti cogniti, sed ipsius cognitionis: ergo non relinquit alias species, quæ sint representatiue virtualiter obiecti cogniti, & non cognitionis ipsius, à qua producit. Probo consequentiam: obiecta possunt virtualiter representari per eandem speciem impressam, per quam virtualiter representatur cognitio; & necessarii debet per illam representari, quia species expressa, quæ cognitionem reflexè representat, representat etiam illius obiectum: ergo impressa, quæ producit expressam cognitionis praterite producit etiam expressam obiecti cogniti per cognitionem prateritam: ergo non est necessum cognitionem producere aliam speciem impressam representatiuam tantum obiecti, & non cognitionis; ad quid enim cognitio producat duplicem speciem impressam, quandam representatiuam sui ipsius, & obiecti, & aliam obiecti tantum representatiuam?

QUARTA CONCLUSIO. Memoria actus aliquando fertur non solum in obiectum prius cognitum, & in cognitionem, sed in amorem, quo ego prosequutus sum tale obiectum. Probo hanc conclusionem: Ego recordor sæpe non tantum cognouisse sed amasse obiectum: ergo cognosco amorem, quem habeo circa tale obiectum: ergo cognosco illud obiectum, ut obiectum mei amoris, & amorem ut terminatum ad tale obiectum: ergo talis actus reflectit supra amorem, & supra obiectum: ergo actus memorie aliquando fertur in amorem obiecti. Verge: eo ipso quod ego reflexè cognoscam meam cognitionem prateritam, cognosco illius obiectum, & illud recordor: ergo eo ipso quod cognoscam amorem prateritum, cognoscam illius obiectum, & illud recordabor. Dices, medio amore præterito possum recordari obiectum amatum, sicuti media cognitione: ergo non est necessum omnem actum memorie ferri in cognitionem; sed sufficit ferri in amorem, medio quo potero per species ab illo relictas cognoscere obiectum antea amatum. Respondeo, semper memorie actus ferri in cognitionem præteritam, quia non possum ego modo cognoscere me amasse obiectum, quin cognoscam me illud cognouisse, propter connexionem, quam habet amor cum cognitione à qua dependet, & propter affinitatem specierum: posse tamen recordari me cognouisse obiectum, & non recordari illud amasse, quia cognitio non necessariam habet connexionem cum amore, & ita omnis actus, quo recordatur obiectum prius tempore cognitum, aut amatum, fertur in cognitionem præteritam, quia eo ipso quod ego cognoscam amorem præteritum, cognosco etiā cognitionem præteritam, & non omnis actus obiecti cogniti fertur in amorem, quia non eo ipso quod cognoscam cognitionem præteritam, cognosco amorem præteritum, quia cognitio non habet necessariam connexionem cum amore, & ita potest cognosci amore non cognitio.

Dices, hoc conuincere dari semper actum aliquem memorie reflectentem supra cognitionem, quotiescumque datur memoria de illo obiecto, non verò omnem actum memorie esse reflexivum supra cognitionem, quia possum ego modo habere duplicem actum, quemdam reflectentem supra

supra cognitionem præteritam, & simul tendentem in obiectum talis cognitionis; alium reflectentem supra amorem actum ex tali cognitione, & tendentem in obiectum commune cognitionis præteritæ, & amoris orto ex illa, & tunc uterque actus erit actus memorie & unus tantum reflectet supra cognitionem; ergo alter, videlicet actus, qui reflectit supra amorem erit actus memorie, & non erit actus reflexivus supra cognitionem. Resp. incertum valde esse an quando simul recordor cognitionis, & amoris circa aliquid obiectum cognoscam utrumque actum per eandem cognitionem, vel per diuersam: si supra utrumque per eandem cognitionem reflectam (quod verosimilius est) certum erit omnem actum cognitionis esse reflexivum supra cognitionem: si per diuersos, verum erit aliquem actum memorie non reflectere supra cognitionem; sed supra volitionem; nunquam tamen erit memoria de aliquo obiecto, quin sit aliquis actus reflectens supra cognitionem, quæ fuerat præcognitum.

10 QUINTA CONCLUSIO. Actus memorie proprius datur in intellectu, quàm in sensu interno. Probo: memoria necessarii fertur in obiectum ut præteritum, quia etiam si ego modo cognoscam reflexe meam cognitionem, & obiectum illius pertingam ex vi cognitionis reflexe non dicitur memorari obiectum cognitum: sed cognitio intellectualis fertur in obiectum ut præteritum formaliter cognoscendo durationem illius, & sensus internus non potest ita ferri, neque durationem obiecti cognoscere: ergo proprius & strictus exercet intellectus actum memorie, quàm sensus internus. Quomodo autem possit dici sensum internum ferri in rem præteritam explicabo Contro. 12. Punct. 2. ubi de speciebus sensus interni.

11 SEXTA CONCLUSIO. Actus memorie quatenus est reflexivus, semper fertur in obiectum iam præteritum, & quatenus respicit obiectum actus præteriti, supra quem fit reflexio, potest respicere obiectum præsens, præteritum, aut futurum. Prior pars conclusionis probatione non indiget, quia, ut modò dicebam, non est actus memorie cognitio reflexa cognitionis actu existentis. Posteriori probatio: quando ego recordor hodie cognitionis, quæ heri iudicavi Antichristum esse venturum, verè memorie actum exerceo, & obiectum cognitionis, supra quam cadit reflexio, adhuc est futurum: ergo memoria potest ferri in obiectum actus, supra quem cadit reflexio, non præteritum, neque adhuc existens, sed etiam futurum: ergo similiter in obiectum potens. Ex hac conclusione, quam certissimam existimo nouum robur accipit tertia conclusio, quæ dixi omnem actum memorie esse reflexivum, quia, ut docet Rubius supra dubio secundo & ferè omnes, qui rem hanc attingunt ex Aristotele libro de memoria, & reminiscencia; capite primo, actus memorie debet ferri in obiectum præteritum, sed id quod debet esse præteritum non est obiectum prius cognitum: ergo debet esse cognitio, quæ fuit cognitum: ergo ut actus memorie necessarii feratur in obiectum præteritum, necessarii debet ferri in cognitionem.

12 Duo restant difficilia soluenda ad totam rei exhauriendam difficultatem. Primum in fundamentis Auicennæ negantis feruari in intellectu species impressas memorie deseruientes. Sic arguit Auicenna: si daretur species impressæ diuersorum obiectorum existentes in intellectu, omnia obiecta simul perciperentur, & intellectus esset in perpetua cognitione omnium obiectorum, cum sufficiens haberet principium ad illa omnia simul cognoscenda: quod si intellectus non posset simul propter limitatam virtutem attendere ad omnia obiecta, quorum habet species, saltem attenderet ad omnia illa, quæ simul iuxta suam virtutem posset cognoscere, & non posset dari ratio, cur potius hæc obiecta quàm illa modò percipiat, siquid omnium habet species; neque cur modò recordetur huius obiecti, & non illius, cur esset à cognitione, quam modò habet, & se potius, quàm illud cognoscendum conuertat.

13 Redarguendus est Auicenna, qui memoriam in sensu interno constituit, & in illo sensorum obiectorum species adseruatas esse concedit, de quibus eadem est omnino difficultas, quia sensus internus in brutis nulli potentie formaliter liberæ subditus est, sicut intellectus in homine in pluribus actibus illius potest formaliter liberæ subditus. Plena obiectionis solutio desiderat modum explicatum, quo species in intellectu existentes excitentur, ita ut hæc modò producat cognitionem sui obiecti, & postea illa, il-

larumque exercitium in mente oratoris succedat illo ordine, quo totam orationem memorie mandauerat, quæque perpolita, & compta exposcit oratio: quomodo in dormientibus, & delirantibus modò hæc, postea illa ebulliant species: quomodo homo cum rem aliquam in memoriam adduci velit, illius speciem manu posita supra frontem vocet, quomodo repente trahatur in cogitationem obiecti quod multis retrò annis nouerat, & nihil de illo amplius cogitauerat. Existimo in his maximum esse rotius Philosophiæ sacramentum nunquam ab aliquo satis explicandum. Id communiter reducunt Doctores ad specierum obiectorum similitudinem affinitatem, ad libertatem voluntatis, quæ animus circa hæc obiecta potius quàm illa aliquando applicat, ad humores, quibus mouentur partes cerebri, in quibus resident phantasmata, quæ species intellectus operantis dependenter à phantasmatis excitant, ad motionem boni Angeli, & suggestionem mali, applicantium obiecta mediâ amotione phantasmatum, ut intellectus potius in hæc, quàm in illa feratur & in illa huiusmodi, quæ legi possunt apud auctores, præcipue apud N. Molin. 1. p. q. 78. art. 2. disp. 2.

Alia difficultas est contra id, quod specialiter diximus, 14 scilicet omnem actum memorie esse reflexivum, quod ipsa experientia impugnare videtur, quia sæpe ego recordor obiecti cogniti quin recorder cognitionis præteritæ, ut patet in Magistro, qui ea, quæ didicit discipulis repetit, quæ prius cognita, dum discipulos instruit, recordatur, immemor se prius illa antea cognouisse. Et cum quis longam disputationem texit, utitur notitiâ illorum, quæ prius didicerat per memorie actus, absque eo quod aliquam cognitionem reflexam habeat cognitionum, quibus primò illa obiecta apprehendit. Resp. sæpe nos cognoscere obiecta prius cognita, & non actu memorie, neque dependenter ab speciebus, quas cognitio præterita de illo obiecto reliquit; sed eodem modo, ac si illud obiectum nunquam nouerimus. Iam enim dixi conclusione prima actum memorie debere procedere à cognitione præterita eiusdem obiecti, & non sufficere ad rationem memorie actum intellectus tendere in obiectum, quod antea fuerat cognitum, quod sæpe contingit in legente lectione, & in arguente, qui instructus multis speciebus iterum deducit ex eisdem principiis ea, quæ prius deduxerat eodem modo, ac si prius non deduxisset, ad quam cognitionem præstant cognitiones aliarum præmissarum, non verò cognitio præterita consequens illati, quod eodè modo inferitur hic, & nunc ab arguente, ac si nunquam illud intulisset. In actibus qui propriè sunt memorie actus, & sunt dependenter à cognitione præterita, circa idem obiectum; dico semper reperiri tendentiam ad cognitionem præteritam, neque contra hanc conclusionem experientia aliqua potest adduci; quia dum quis non cognoscit cognitionem præteritam, non potest cognoscere se habuisse actum memorie, & cognouisse obiectum præteritum dependenter à cognitione præterita, quam non cognouit dum habebat talem actum.

15 Obiit. Quando quis cognoscit obiectum sensatum dependenter à sensatione, etiam si sensatio concurrat ad talem sensationem non cognoscit obiectum, ut sensatum, neque ipsam sensationem, sed tantum obiectum, quod est sensu actum: ergo quando quis cognoscit obiectum cognitum dependenter à cognitione, quam habuit etiam si cognitio præterita mediâ specie ab ipsa producta concurrat ad cognitionem obiecti cogniti non cognoscit ipsam cognitionem. Antecedens suadet experientia, cum enim ego cognosco parietem dependenter à phantasma, cognitio parietis non fertur in ipsum phantasma, seu in parietem, seu colorem; possum enim affirmare esse colorem, quem cognosco, & non possum affirmare esse phantasma, à quo dependet illius cognitio. Resp. me cognoscere phantasma repræsentans colorem quotiescunque cognosco colorem cognitione dependenti à phantasma, quod autem non possum affirmare esse phantasma in cerebro, sicut affirmo esse colorem in pariete, non probat me non cognoscere phantasma, sed illud cognoscere confusè, & minùs expressè, quàm colorem, quod sufficit, ut non possum affirmare esse phantasma in intellectu: sicuti quando video colorem album longè distantem, video ipsam rationem specificam albedinis, & tamen non possum affirmare illam se tenere ex parte obiecti meæ visionis. Neque refert eadem cognitione cognosci colorem, & phantasma, ne possit color clarè cognosci, & phantasma nimis obscurè, quia

quia eademmet cognitio potest esse clara respectu vnius obiecti, & obscura respectu alterius.

- 16 Desiderabis rationem cur cognitio eadem tendens in colorem, & in phantasma, & immediatius producta à phantasmate, quàm à colore, sit expressior respectu coloris, quàm phantasmatis? Resp. nostrum intellectum percipere obiecta dum anima est corpori vnita dependenter à phantasmate, & à sensibus externis, & ita magis obscurè, & minus distinctè percipit illa, quæ non fuerunt sensibus sensata & distincti, & clariùs illa, quæ priùs sensata attingit, & hac de causa expressiùs, & clariùs cognoscitur color quàm phantasma, quia color sensibus fuit perceptus, & non phantasma.

PUNCTUM V.

Quod obiectum prius cognoscatur à nostro intellectu.

- 1 Hæc difficultas in Thomistarum schola præcipuum locum obtinet, quàm breuissimè definiam, nihil enim inter illam soluendam occurrere potest speciali examine, aut notà dignum. Sentiant Thomistæ vniuersalia prius cognosci à nostro intellectu, quàm singularia, & inter vniuersalia prius vniuersalissima. Refertur pro hac sententia D. Thom. in procemio ad octauum Physicor. Eam defendunt Iandanus lib. 1. Physic. q. 5. Aureolus apud Viguierum in 1. dist. 2. q. 2. Richard. in 2. dist. 24. q. 4. circa tertium princip. Caiet. lib. de ente & essentia cap. 1.

- 2 Singularia priùs à nobis cognosci quàm vniuersalia, tenent ex antiquis Durand. in 2. dist. 3. q. 7. Ocham. in 1. dist. 3. q. 5. Gregor. ibid. q. 3. Apollinaris 3. de anima q. 13. Burzæus de Metaph. lib. 1. physic. cap. 1.

- 3 PRIMA CONCLUSIO. Singularia sæpe cognoscuntur prius quàm vniuersalia. Probo hanc conclusionem. Intellectus abstrahit rationem homines, ab hoc, & illo homine: ergo prius cognoscit hunc, & illum hominem, quàm rationem ab illis abstractam.

- 4 SECUNDA CONCLUSIO. Singularia accidentium prius cognoscuntur à nobis, quàm singularia substantiæ. Probat hanc conclusionem Auctorum turba hac ratione. Singularia substantiæ cognoscuntur per species accidentium: ergo prius cognoscuntur singularia accidentium: quàm singularia substantiæ. Nondum satis est explicata hæc ratio, ex eo enim quod cognitio indiuiduæ substantiæ dependeat ex speciebus accidentium non inferitur priorem esse cognitionem, seu speciem expressam accidentium specie expressa substantiæ indiuiduæ; sed tantum esse priores species impressas accidentium specie impressa indiuiduæ substantiæ, quia cognitio accidentis indiuidui non influit in cognitionem substantiæ indiuiduæ, sed vtraque procedit ab eodem principio scilicet ab iisdem speciebus, quæ sunt propriæ accidentium, & non substantiæ. Aliter solet eadem conclusio probari: Tota nostra cognitio incipit à sensibus, sed accidentia tantum sensibus percipiuntur: ergo prius cognoscuntur indiuidua accidentium, quàm indiuidua substantiæ. Non acquiesco. Cognitio nostra incipit à sensibus & à sensationibus, ex quo infero sensationes esse priores cognitione indiuidui accidentis, & indiuiduæ substantiæ, non verò ipsas cognitiones intellectuales inter se habere ordinem prioris, & posterioris. Dices, sensationes, seu species impressas à sensationibus productas prius producere cognitionem indiuidui accidentis, & posteriorius cognitionem indiuiduæ substantiæ. Euoluo hanc prioritatem, & euanesce. Sensationes, seu species à sensationibus productæ immediatè producant cognitionem indiuiduæ substantiæ, etiam si non sint propriæ species huius: ergo non prius naturā producant cognitionem indiuidui accidentis, quàm indiuiduæ substantiæ. Probo consequentiam: Vtraque cognitio immediatè dependet ab eodem principio: neutra influit in alteram: ergo principium non prius hanc, quàm illam produci, neque inter se prioritatem aliquam habent.

- 5 Aliter ego conclusionem probo: ex eo ego cognosco hic existere substantiam, quia cognosco hic esse accidens, & infero existentiam substantiæ ex existentia accidentis per hunc discursum: Accidens non potest esse sine substantia: hic est accidens: ergo hic est substantia. En cognitio accidentis se habet ex parte antecedentis ad inferendam existentiam substantiæ: ergo cognitio accidentis prior est cognitione substantiæ.

TERTIA CONCLUSIO. Inter vniuersalia quædam minus vniuersalia prius cognoscuntur, quàm alia magis vniuersalia. Probo: Ratio animalis abstrahitur à ratione hominis, & ratione equi: ergo prius cognoscitur ratio animalis, quàm ratio hominis: ergo prius cognoscitur vniuersale specificum, quàm genericum.

QUARTA CONCLUSIO. Sunt principia aliqua vniuersalissima, quæ prius cognoscuntur, quàm illorum singularia, sicut illud: *Dici de omni, dici de nullo. Quodlibet est, vel non est. Omne totum est maius sua parte.* Probo hanc conclusionem. Hæc principia sunt per se nota: ergo non dependunt à præsupposita cognitione: ergo cognitio singularium, quæ sub illis continetur non est prior cognitione ipsorum.

Obiicit Thomistæ. Cognitio nostra dependet ab specie impressa: sed species impressa primò repræsentat vniuersalia. Probat minorem: species impressa intellectualis abstrahit à phantasmatibus singularia repræsentantibus: ergo non repræsentat primò, & per se singularia. Neque vacat, neque opus est hæc impugnare. Resp. negando minorem: ad probationem illius dico speciem impressam abstrahere in se ipsa à materialitate phantasmæ, quia ipsa (si datur in intellectu) non est materialis, sed spiritalis, non verò abstrahit à materialitate obiecti, à qua si abstraheret adhuc rationem vniuersalem corporis non posset significare, quia hæc materialis est, materialitas enim non sequitur quancunque indiuiduationem, neque tantum sequitur indiuiduationem entium materialium; sed etiā prædicata superiora, quæ oppositionem habent cum prædicato spiritualitatis.

Obiicit Thomistæ. Vniuersale est obiectum nostri intellectus: ergo intellectus primò, & per se cognoscit vniuersalia, & secundariò singularia. Resp. vniuersalia, & singularia, & omnes atomas differentias entium esse obiecta nostri intellectus, & non tantum vniuersalia: aliis hæc tantum, & non vltra illa quidquam aliud posset cognoscere.

Obiicit Materialitas impedit cognoscibilitatē, sed indiuidua sunt materialia: ergo non possunt cognosci primò, & per se. Resp. distinguendo antecedens: materialitas subiectiua potentie cognoscentis impedit cognoscibilitatem, transeat materialitas obiectiua, nego antecedens alias tantum prædicata spiritalia, vel abstrahentia à corpore cognoscere, prædicatum enim corporis, & omnia, quæ sub illo sunt, materialitatem imbibitam habent.

Obiicit. 4. Pueri primò quemcunque hominem patrem vocant, deinde proprium parentem à reliquis hominibus distinguunt: ergo prius cognoscunt rationem communem patris, deinde indiuidualem. Resp. pueros voces illas, quas primò discunt omnibus hominibus accomodare, quia quemlibet hominem, ita confusè cognoscunt, vt non valeant inter hominem, & hominem discernere, & illas proferre omnino significationis ignaros, eodem modo quo pſittacus earundem sonum ederet.

PUNCTUM VI.

An principium cognoscituum inferatur ex substantia immaterialitate.

Tanta est Angelici Doctoris auctoritas in scholis, vt digna sit omnibus Theologis disputatio de inquirenda ratione à S. Doctore adducta: An videlicet rem demonstratiue concludat, necne? Tradiderat S. Thomas 1. contra Gentes cap. 44. & seqq. & 2. de veritate art. 1. multique rationibus statuerat Deum esse perfectissimè cognoscituum, vbi verò 1. part. peruenit ad q. 14. art. 1. aliis rationibus omisiss hac vnica probat Deo inesse perfectissimum gradum cognoscitui. Potestas cognoscendi provenit ab immaterialitate, ita vt tantò perfectior sit gradus cognoscitui, quantò perfectior est gradus immaterialitatis, sed Deus est in summo gradu immaterialitatis summo opere separatus à materia: ergo Deo conuenit perfectissimus cognoscendi gradus. Maiorem probat Angelicus Doctor. Potentia cognoscendi est amplitudo quædam, & veluti infinitudo, quia cognoscens se extendit ad obiecta: sed materia limitat, & coarctat formam: ergo potestas cognoscendi provenit ab immaterialitate. Confirmatur eadem ratio inductione facta per omnes substantias de facto existentes. In substantiis, quæ de facto existunt, illæ, quæ magis abstractæ sunt à materia perfectiùs cognoscunt, vt patet in anima.

anima, quæ est in equo, anima rationali, Angelo, & Deo: equus enim imperfectus animo rationali cognoscit, quia plus habet materiæ, quam animus rationalis, animus rationalis maiorem connexionem habet cum materia, quam Angelus, & imperfectus cognoscit, quam Angelus, & iste imperfectus Deo, quia Deus est summè abstractus à materia: ergo ex immaterialitate rectè inferitur virtus cognoscitiva. Deinde viuentia differunt à non viuentibus, ex eo quod viuentia recipiunt formas alienas, hoc est, species intentionales, & non viuentia tantum formas proprias, & qualitates, quæ ad has disponunt, sed limitatio, ratione cuius non viuentia recipere non valent formas alienas prouenit à materia: ergo illimitatio ad illas formas recipiendas prouenit ab immaterialitate: ergo immaterialitas infert principium cognoscitivum. Rationem Angelici Doctoris demonstratam esse defendunt Thomistæ omnes, Richardus, Capreol. Ferr. & Caietan. apud Patrem Ruiz, qui disp. 34. sect. 6. n. 6. in fine concludit à nemine negari, neque negari posse immaterialitatem esse rationem cognoscendi. Non credo, neque in alicuius mentem venire potest eruditissimæ, & doctissimæ virum non legisse Ochamum, Gabrielem, & Bassolum, rationem hanc resellentes, asserentesque non repugnare substantiam spirituales nihil materialitatis habentem, quæ cognoscitiva non sit, aut Aureolum, qui soluit argumenta facta ab impugnatoribus rationis prædictæ, sed propriæ scholæ amore ab aliarum rationibus, & auctoritate illius animus fuit auersus. Rationem Angel. Doctoris propugnant è nostris P. Mol. P. Val. P. Arrub. P. Fasolus ad articulum citatum, P. Suarez in met. disp. 30. sect. 14. n. 10 & disp. 35. sect. 3. n. 20. P. Didacus Ruiz tom. de scientia disp. 1. sect. 3. & 4. P. Her. disp. 1. c. 3.

Est inter Theologos exagitata sit ratio supra adducta, non est alienum à Philosopho, de illa iudicium ferre, imò ad illum propriissimè spectat. Philosophi enim est definire, an repugnet substantia spiritualis non cognoscitiva, vel an possit dari aliqua substantia spiritualis, quæ cognoscitiva non sit: cuius definitio tota pendet ex ratione supra adducta, si enim immaterialitas infert principium cognoscitivum, repugnat substantia materialis non cognoscitiva: si verò principium cognoscitivum ex immaterialitate non inferatur, dari poterit substantia spiritualis non cognoscitiva; cuius rei solutio præsentis tractationis scopus est.

Apud omnes inconcussus est nomine immaterialitatis non significari ab Angelico Doctore puram negationem materiæ, sed prædicatum positivum, quod non omnes eodem modo explicant, pendetque ex illius explicatione tota vis rationis adductæ ab Angelico Doctore. P. Didacus Ruiz sect. 3. n. 7. & 8. hanc immaterialitatem non constituit in prædicato spiritualitatis, sed in exclusione proprietatum, & conditionum materiæ, quas ibi recenset, videlicet esse puram potentiam, habere priuationem omnium formarum præter viam quam habet, habere partes eiusdem rationis quarum singule possunt separari, & constituere unum individuum, esse subiectum quantitatis, non posse existere sine forma, & indigere pluribus qualitatibus quas non potest sibi tribuere; sed à forma, vel ab alio extrinseco agente illas participat. Denique ait materiam nullam à se virtutem actiuam habere, & distare multò magis à virtute immanenter operandi, longissimèque distare à virtute cognoscitiva. Viuentia sensitiua, ait quodammodo participare has proprietates licet absolute materialia sint, quia sunt perfectiora non viuentibus & receptiua specierum absque eo quod una excludat aliam, id quod clarè constat in visu simul inspiciente spaciolam campi planitiem distinctam arboribus, variisque figuris, coloribus florum, & herbarum. Cùmque sibi obieceret sect. 5. n. 7. non viuentia recipere accidentia peregrina, seu formas alienas, & in eisdem inanimatis recipi species intentionales odoris, & coloris, respondet n. 8. duplex esse genus accidentium, seu formarum accidentalium: quedam vocantur intentionalia, alia realia, ut ab intentionalibus distinguuntur. Accidentia realia semper ordinantur ad corruptionem ipsius inanimati, quando sunt illi peregrina, & non iuxta propriam exigentiam. Accidentia intentionalia inutiliter in subiecto inanimato recipiuntur, quia subiectum inanimatum non potest his accidentibus uti, & ita quasi materialiter recipiuntur in subiecto, & non formaliter, quatenus operatiua sunt, sicuti species impressa coloris recepta in aëre, & in pupilla, inutiliter recipitur in aëre in or-

dine ad ipsum aërem, & vtiliter in pupilla. Hunc modum recipiendi accidentia extrinseca in ordine ad corruptionem, & accidentia intentionalia inutiliter, adscripsit Ruissius non viuentibus, asseritque proprium esse viuentium peregrinas formas, seu accidentia extrinseca sine ordine ad corruptionem recipere, & species intentionales vtiliter in ordine ad expressas species receptas, propriasque eiusdem subiecti.

Non contendendum modò cum P. Ruissio de proprietatibus materiæ, in quibus nonnullas annumerat, quas ego non admitto: facilius, & breuius illius sententiam impugnavo. In primis falsum est, omnes qualitates extraneas receptas in non viuentibus tendere in ipsorum corruptionem; lux enim est qualitas aëris, pluribusque subiectis de foris adueniens, & nullatenus illorum perniciem molitur, similiter sonus nullum nocumentum affert corpori, cui peregrinè contingit. Secundo asserit sensitiua habere plus immaterialitatis, quam non sensitiua, quia sunt illi perfectiora: ergo horum immaterialitas consistit in perfectione ratione cuius exsuperant perfectionem non sensitiuorum: sed hæc est formalitas sensitiuorum: ergo immaterialitas sensitiuorum quæ consistit in potentia sentiendi non inferitur ex immaterialitate, sed formaliter est eadem cum illa: ergo immaterialitas equi inutilis est ad inferendam potentiam sentiendi, & ad illam explicandam: quis enim à posteriori facilius non conceptum formalem potentie sentiendi, quam immaterialitatis equinæ non efformabit, etsi ex parte obiecti conceptus sit omnino idem. Tertio efficacissimè asserit P. Ruissius immaterialitatem consistere in potentia recipiendi species impressas, non utrumque, sed vtiliter respectu subiecti recipientis, ideòque aëri recipienti easdem species impressas, quas recipit pupilla, non competere immaterialitatem pupillæ, quia hæc vtiliter recipit species, & illa inutiliter, sed pupillam recipere vtiliter species dicit illas recipere, & posse uti illis: ergo dicit ipsam potentiam sentiendi: ergo immaterialitas pupillæ consistit in potentia sentiendi: ergo quando inferitur potentia sentiendi ex hac immaterialitate inferitur potentia sentiendi ex eodem conceptu obiectiuo potentie sentiendi obscurius significato: ergo mala est illatio, quæ ex immaterialitate hac ratione explicata infert sentiendi potentiam.

P. Herice disp. 1. c. 1. n. 12. docet per immaterialitatem non intelligi negationem materiæ primæ, sed prædicatum quoddam positivum, quod opponitur cum corporea mole constante partibus homogeneis non distinctis organizatione. Qua de causa Aristot. lib. 2. de anima text. 124. dixit plantas non sentire, etsi forma viuenti gaudeant, quia mediocritatem non habent, neque principium tale, ut sensibilibus sine materia recipientibus formas, hoc est, quia carent temperie necessaria ad deorganizationem sensorij, ac proinde carent virtute receptiua specierum, & ipsa potentia sentiendi. Ex hoc inferit formas illas esse magis materiales, quæ magis indigent dispositionibus non organicis, & minus organicis; illas verò esse magis immateriales, & magis capaces cognoscendi, quæ minus indigent dispositionibus non organicis, & magis indigent organicis. Admissa hac ratione immaterialitatis, & tota doctrina tradita, difficile defendi potest ex illa ratio D. Thom. sic arguo. Quilibet Angelus æquè caret his accidentibus, & dispositionibus elementaribus, ac alius quicumque longè specie perfectior, imò cùm omnimoda illarum negatio cuicumque conueniat, non potest dici Deum magis carere his qualitatibus elementaribus quam caret Angelus; in Deo enim, & in Angelo est tota carentia, quæ concipi potest, caloris & frigiditatis, & harum similium qualitatum, & utrique intrinsecè, & essentialiter similes qualitates repugnant, licet Deo repugnent per suam entitatem infinitam, & in Angelo oriatur negatio harum qualitatum ex illius essentia finita, & in Deo ex infinita essentia, quia in utroque oritur, ex propria entitate, & entitas Dei est infinita, entitas verò Angeli finita: ergo ex hac carentia qualitatum non inferitur Deum esse cognoscitivum perfectissimum, neque perfectius Angelo. Eadem ratione argumentor de exigentia qualitatum organicarum, seu organorum, quæ in viuentibus materialibus immaterialitatem constituit: in Deo, & in Angelis nulla datur deorganizatio: ergo non potest illorum immaterialitas, ex qua in eisdem principiis cognoscitivum inferitur, in deorganizatione formali, aut radicali consistere. Dices, in Deo, & in Angelis carentiam deorga

deorganizationis oriri ex maiori abstractione à materia, & maiori independentia in operando ab aliis accidentibus, quæ dicit maiorem immaterialitatem, & hac ratione animam rationalem esse magis immaterialem formā equi quia potest operari in statu separationis independentē à deorganizatione, quod non potest forma equi; & minus immaterialem Angelo, quia Angelus semper operatur independentē à deorganizatione, & anima rationalis in statu unionis operatur dependentē à deorganizatione. Itaque magis immaterialia sunt viuentia, quæ dependent à dispositionibus organicis, quā quæ dependent ab aliis non organicis, & magis immaterialia illa, quæ neque ab organicis, neque non organicis dependent. In his autem, quæ nullam habent dependentiam à dispositionibus organicis, neque non organicis, illa, in quibus hæc independentia oritur ex prædicatis nobilioribus, erunt magis immaterialia; cū verò in Deo oriatur ex essentia infinita omnium perfectissima, Deus dicitur summè immaterialis; in Angelis verò illi erunt magis immateriales, in quibus sortitur independentia in operando à qualitatibus non organicis, & organicis ex perfectiori essentia. Secundū hūc dicendi modum immaterialitas in ipsa rei essentia, & in illius perfectione constituitur, in quo sensu negari nequit Deum esse ens summè immateriale, quia est ens summè perfectum; Verumtamen explicatu difficile est, quomodo principium cognoscendi ex immaterialitate inferatur, quia principium cognoscendi non infertur ex essentia, sed ingreditur ipsam formalissimam essentiam. Deus enim, Angelus, & rationalis animus per suam essentiam sunt viuentes: ergo per suam essentiam sunt principium operationum vitalium, seu vitaliter operantur; sed Deo, & Angelo non conuenit alia vita, nisi intellectiva, quæ essentialiter conuenit etiam animo rationali: ergo Deo, Angelo, & animo rationali per proprias essentias conuenit principium intelligendi, vel ipsa intellectio, si in Deo non datur principium intelligendi.

6 Respondet Herice n. 15. duplicem conceptum nos posse formare, priorem in quantum positiua perfectio essentiae fundat negationem materialitatis; posteriorem quatenus fundat capacitatem se coniungendi cum speciebus illas intra se recipiendo, veluti semen operationum intentionalem; & conceptum hunc posteriorem ex illo priori oriri formaliter, & quoad nos, licet ex parte obiecti nullatenus distinguantur. Contra hanc doctrinam iam diu argumentatus est Basolus postea citandus. Prædicatum intellectui est essentialē, & differentia constitutiua viuentis vitæ intellectuali: ergo non oritur adhuc formaliter ex alio prædicato, differentia enim essentialis est prima radix, ex qua oriuntur alia prædicata, & ipsa ex nullo trahit originem. Respondet Basolus n. 18. ex Capreolo, & Soncinato; duplex esse intellectuum, radicale, & formale, quorum radicale formaliter est idem cum ratione immaterialitatis, & nulla ratione prius illo, formale verò oriri ex radicali, & vtrumque penuria vocabulorum dici intellectuum. Duo continet hæc solutio: primum, intellectuum radicale non distingui formaliter ab immateriali; secundum, intellectuum formale oriri ex intellectu radicali: de hoc ultimo nulla potest esse dubitatio in substantiis, in quibus datur intellectuum formale, & radicale. Neque primum potest dubitari in Deo, sumpto immateriali pro essentia, quatenus fundat negationem dependentiæ in operando ab accidentibus organicis, & non organicis, quia essentia Dei est summè perfecta, & vita perfectissima, quæ est intellectualis. Similiter prædicatum immaterialitatis Angelorum, omniumque substantiarum, quæ principium habet cognoscendi, in hac acceptione non distinguuntur ab intellectu, quia dicit prædicatum specificum, & constitutum speciei, quod formaliter est intellectuum. Hac ratione recte congruit ratio D. Thomæ, qui ex immaterialitate propria Dei, hoc est, ex eo, quod fundat independentiam in operando ab aliis accidentibus per prædicata infinitè perfecta, & per essentiam infinitam rectè infert, Deum esse intellectuum, quia implicat essentiam infinitam non esse principium intelligendi, vel formaliter ipsam intellectionem. Sic Magistri doctissimi Angelicum Doctorem interpretantur, inferentem prædicatum intellectui ex speciali immaterialitate Dei, & prius illis P. Suarez disp. 3. sect. 14. num. 10. ubi docet ad efficaciam rationis Angelici Doctoris necessarium non esse, non posse dari substantiam spirituales creatam non intellectuam, quia

illa non haberet illum gradum spiritualitatis, & immaterialitatis, quem habet Deus. Constat enim Deum non solum esse immaterialem, & spirituales, sed summè immaterialem, & summè spirituales, ideo summam perfectionem in eo gradu obtinentem, ex quo infert eundem D. Thomas esse intellectuum, quia perfectior est substantia immaterialis intellectuam quā non intellectuam, & cū Deus sit substantiarum perfectissima, intellectuam necessariò erit. Hæc passim dicta sint de ratione Angelici Doctoris.

Redeo ad explicationem immaterialitatis, quam tradidit Herice, contra quam argumentor sic: Sensitiua, & non sensitiua materialia æquè indigent his accidentibus elementaribus omnibus communibus: ergo ex hoc capite non sunt sensitiua minus immaterialia, quā non sensitiua. Ex accidentibus organicis plura petit planta, quā aqua; & equus quā planta: ergo sicut per maiorem exigentiam organorum, quā habet equus, quā planta, est ille magis immaterialis, similiter planta erit magis immaterialis, quā forma elementaris: ergo hæc immaterialitas, quæ plantæ superat elementum, aliquid principium cognoscendi infert in planta. Quod si dicas immaterialitatem plantæ non sufficere ad inferendum principium cognoscendi, & sufficere immaterialitatem equi, & aliorum sensitiuorum, quia hæc est maior illa, assigna mensuram immaterialitatis sufficientem ad inferendum principium cognoscendum, siquidem non omnis immaterialitas illam infert. Secundò: ethi verum sit speciales essentias, quas nouimus independentes in operari ab his externis accidentibus fundantes hanc independentiam per se ipsas esse formaliter principium intelligendi, & ita ipsarum immaterialitatem formaliter à cuiuslibet essentia indistinctam formaliter esse principium intelligendi, ex nullo capite hucvique probatum est omnem essentiam possibilem fundantem similem independentiam in operando, seu non indigentem his externis accidentibus esse necessariò principium intelligendi, de quo in præfati specialis instituitur disputatio.

Omissis aliis acceptionibus immaterialitatis, dico immaterialitatem sumptam pro ratione formali spiritualis non esse coniunctam cum principio intellectu, sed posse dari substantiam spirituales incapaces intelligendi: ita sentiunt Ocham in 1. dist. 35. q. 1. Gabr. ibid. Basolus ibid. q. 1. art. 1. §. sed de istis. Arriag. disp. 2. sect. 4. & sapientissimi recentiores. Probo hanc conclusionem: seclusi ratione formali, & radicali principij intellectui potest intelligi ratio substantiæ spiritualis absque vlla connexionē cum illa: ergo non repugnat dari substantiam spirituales non intellectuam. Antecedens probo: Ratio spiritualitatis dicit penetrabilitatem cum alia re omnino à se diuisa modo explicato Controu. 1. Punct. 5. sed hæc ratio adhuc ut coniuncta cum ratione formali substantiæ, non dicit formale, aut radicale principium intelligendi: neque connexionem essentialē cum illo: ergo potest dari substantia spiritualis, quæ non sit principium, aut radix intellectionis. Confirmatur: Prædicatum substantiæ per se sumptum nullam connexionem habet cum principio intellectionis, ut patet in substantia materiali non intellectuam, neque prædicatum spiritualis per se sumptum connexionem habet cum tali principio, ut patet in pluribus accidentibus spiritualibus nullum ordinem habentibus ad intellectionem, neque ad illius principium in coniunctione vtriusque vlla apparet specialis ratio, quæ fundet talem connexionem: ergo vtrumque prædicatum simul sumptum, seu substantia spiritualis abstractè sumpta talem connexionem non habet: ergo potest dari substantia spiritualis non intellectuam. Vltimò: nullo modo repugnat dari substantiam spirituales non intellectuam: ergo poterit Deus illam producere: ergo non infertur per consequentiam necessariam prædicatum intellectu ex substantia spirituali. Talem contradictionem non dari nullo alio modo melius probari poterit, quā soluendo omnia argumenta, quibus probari intenditur omnem substantiam spirituales dicere essentialiter prædicatum intellectu.

Obicies primò. Substantia, quod immaterialior est, seu magis spiritualis, perfectius intelligit: ergo virtus intelligendi oritur ex prædicato spiritualitatis. Supponit obiectio in substantiis spiritualibus esse vñ magis spirituales, quā sit alia, quod falsum est, quia prædicatū spirituales non recipit magis, aut minus: sed hoc omisso, distinguo antecedens: quo entitas est magis immaterialis seu spiritualis perfectius

perfectiū intelligit supposita virtute intellectiua, concedo antecedens: absolute, nego antecedens. Quia ego non nego prædicatum spirituales plurimum conducere ad intellectiōem, seu perfectam cognitionem; sed nego esse rationem essentialiter coniunctam cum principio intellectiui, multa enim sunt sine quibus effectus esse potest, & quæ plurimum ad effectum conducunt, ex se tamen, nullam habent connexionem cum illo, sicut densitas iuuat ad agendum, & applicatio ad actionem requiritur, & quo maior est densitas, & applicatio, intensior est effectus productus, tamen neque applicatio, neque densitas inferunt virtutem actiua: applicatur enim illa, in quibus nullus potest intercedere ordo agentis in passum.

10 Obiic. secundū. Omnis substantia spiritualis perfectior est, & nobilior quacunque alia substantia non spirituali, quæ prorsus sit corporea: at non esset perfectior, & nobilior, si non posset cognoscere, quia multæ substantiæ corporeæ cognoscunt, & substantia non cognoscens imperfectior est substantia materiali cognoscente. Confirmatur: Substantia viuens perfectior est non viuente: ergo substantia corporea viuens esset perfectior substantia spirituali non viuente, ex suppositione, quod talis substantia daretur, sed eo ipso, quod daretur substantia spiritualis non intelligens, esset non viuens, quia substantia intellectualis tantum potest viuere vitā intellectiua: ergo si daretur substantia spiritualis non intelligens, esset imperfectior substantia corporeā viuenti. Respond. substantiam spiritua-lem esse perfectiorem substantia corporeā, factā comparatione in prædicatis spiritualis, & corporeæ, non verò factā comparatione in quibuscumque aliis prædicatis; potest enim substantia spiritualis excedere corpoream in prædicato spiritualis, & potest substantia corporea excedere aliam spiritua-lem in prædicato viuentis, sicuti accidens spirituale comparatum cum substantia materiali illam excedit in prædicato spiritualis, & ab eadem exceditur in prædicato substantiæ, & absolute est substantia corporea perfectior accidenti spirituali, quia absolute maior est excessus, quem habet substantia ratione prædicati substantiæ, quā ille, quem habet accidens ratione prædicati spiritualis; & ex duabus entitatibus inuicem se excedentibus secundum diuersa prædicata, illa absolute perfectior est, cuius excessus maior est: itaque posita substantia corporea viuenti, & spirituali non viuenti, videndum esset, qui excessus maior esset spiritualis, ad corporeū, vel viuentis ad non viuens; & si maior esset excessus spiritualis ad corporeum, semper substantia spiritualis, esset non viuens, perfectior esset substantia corporea viuenti; & ita negandum esset omnem substantiam viuentem perfectiorem esse non viuenti, quod multi negant, asserentes formas cælorum perfectiores esse formis viuentium imperfectiorum. Si verò maior sit excessus viuentis ad non viuens, substantia corporea viuens perfectior erit substantia spirituali non viuenti, & negandum est omnem substantiam spiritua-lem perfectiorem esse substantia corporea, sicuti negamus omnem entitatem spiritua-lem esse perfectiorem omni alia entitate corporea, quia accidens spirituale imperfectius est substantia corporea. Quis horum excessuum maior sit ad præsentem difficultatem parum refert, & tantum prudentis arbitrio taxandum est: ergo censeo, maiorem esse excessum viuentis ad non viuens, quā spiritua-lem ad corporeum, & ita posse dari substantiam spiritua-lem non viuentem imperfectiorem substantia corporea viuenti.

11 Obiic. 3. Cuiusque substantiæ debentur operationes proportionatæ: ergo substantiæ spirituali debentur operationes spirituales: sed nulla potest esse operatio spiritualis præter intellectiōem, & volitionem: ergo omni substantiæ spirituali debetur intellectio, & volitio. Resp. verum esse omni substantiæ spirituali deberi operationes spirituales, falsum tamen has non posse esse distinctas ab intellectiōe & volitione; quia posset talis substantia plures qualitates in se producere tanquam passiones ipsi debitas per operationes spirituales non vitales.

12 Obiic. 4. Omni substantiæ perfectiori debetur perfectior operatio, sed substantia spiritualis est perfectior corporea: ergo debetur illi perfectiores operationes: sed substantiæ corporeæ debentur operationes vitales: ergo & substantiæ spirituali. Hæc obiectio in re eadem est cum obiectiōe secunda, cui ex doctrina ibi tradita facile potest satisfieri. Respondeo, omni substantiæ deberi ope-

rationes perfectiores ea ratione, quia ipsa perfectior est: ex quo inferitur, substantiæ spirituali deberi operationem perfectiorem in ratione spiritualis, quia secundum hanc rationem substantia spiritualis perfectior est quā corporea; non verò in ratione vitalis operationis, quia secundum hanc rationem potest dari substantia corporea vitalis perfectior spirituali non vitali.

13 Obiic. 5. Intellectum oritur ex aliquo prædicato: ergo à prædicato immaterialitatis. Respond. intellectum formale in his, in quibus datur distinctum à radicali, oriri ex intellectiui radicali, & intellectum radicale, & formale, in his, in quibus non datur radicale, esse prædicatum essentiale, & constitutum speciei, quod ab alio non oritur: sed reliqua ab ipso oriuntur.

14 Obiic. 6. Ex prædicato immaterialitatis, seu spiritualitatis oritur aliqua ratio formalis: non alia distincta à prædicato intellectiui: ergo hoc oritur ab illo. Resp. ex prædicato immaterialitatis, seu spiritualitatis oriri posse rem spiritua-lem penetrari cum alia eiusdem speciei, & ex alio oriri prædicatum spiritualitatis in actionibusque de facto procedunt à spirituali.

15 Obiic. 7. Virtus formæ limitatur, & coarctatur à materia, & ideo non potest species in aere producta visionem producere, quia illius virtus æris materialitate limitatur: sed entitas spiritualis non habet materiam, à qua limitatur: ergo erit illimitata, & expedita ad cognitionem cuiuscumque obiecti exhibendam. Probaret hæc ratio, si aliquid euinceret, Angelum habere virtutem intellectiua-lem infinitam, quia cum Angelus nihil habeat materiæ, si ab hac tantum oriatur limitatio, nullum habebit principium, ex quo limitatur, ac proinde erit infinite perfectus. Scio Thomistam sentire vnum Angelum esse alio magis immaterialem, ex qua doctrina dicit Angelum minus immaterialem habere minorem illimitationem. Sed iterum de hac re contendere nolo: iam enim dixi, prædicatum immaterialis, & spiritualis non posse suscipere magis, nec minus. Resp. quamlibet entitatem creatam ex prædicato specifico habere limitationem, & coarctationem virtutis independentem à materia, quam habet substantia spiritualis non intellectiua ex sua specifica differentia. Neque in opinione Thomistarum, vt bene notauit P. Suarius, sumitur specificatio, seu prædicatum specificum ex materia: sed tantum indiuiduatio, posse autem, vel non posse intelligere, non sequitur indiuiduationem; sed differentiam essentialem, ac proinde ex ipsa forma secundum se sumendum est, non ex limitatione, quam illi tribuit materia. Ad illud, quod dicitur de speciebus in aere receptis, respondeo species ex se eandem virtutem habere in aere, & in pupilla, & in vitroque subiecto esse inadequatam, & sine alio comprincipio non posse visionem producere, cum quo coniungitur in pupilla, & ita illo adiuta visionem producere, in aere verò non inuenire potentiam, seu comprincipium, quo adiunetur ad talem visionem producendam, neque organa ad illa requisita, & ita non posse visionem producere ex defectu comprincipij adiuuantis, & reliquarum circumstantiarum, neque alia est limitatio specierum præter hunc comprincipij defectum.

16 Obiicitur etiam Aristoteles variis in locis, præcipue lib. 3. de anima c. 8. text. 37. & 38. vbi ait, plantas non cognoscere, quia non habent proportionem requisitam ad recipiendas species, ex quo inferri intenditur substantiam spiritua-lem habere virtutem recipiendi species, quia caret improportionem, quam habent plantæ, & consequenter fore cognoscitiua. Respondeo non inferri ex eo, quod plantæ propter ipsarum materialitatem non cognoscant omnia; quæ earent hac materialitate esse cognoscitiua, quia hac materialitate seclusa, ex defectu potentia, & ex pluribus aliis capitibus potest substantia non esse intellectiua.

PUNCTUM VI.

An principium cognoscitiuum appetitiuum inferat.

1 Angelicus Doctor 1. part. quest. 19. art. 1. ex potentia cognoscitiua Dei volitiua inferit, licet non omnes profundum Angelici Doctoris discursum penetraverint: ita multa mouet Caietanus ad exponendum sanctum Præceptorem, in hoc loco, illius tamen expositiones multi impugnant,

pugnant, quorum unus est P. Vasquez in commentario huius articuli. Clarè, & expedite nostri expositores Angelici Doctoris, illius rationem hoc modo expediunt. Deus est summè cognoscens, sed non potest esse summè cognoscens, quin sit volens: ergo Deus est volens, seu habens virtutem volitivam. Ex hoc discursu questio purè philosophica suboritur, an videlicet, possit dari aliquod cognoscitium, quod appetituum non sit: vel an essentialiter sit connexum principium cognoscitium cum appetituum: Vt liberius in hac questione producere possimus, moneo rationem Angelici Doctoris optimè intentum concludere etiam si possit dari aliquod principium creatum cognoscitium, quod non sit appetituum, vt bene notavit P. Rufus i. de Volunt. disp. i. sect. i. n. 1. quia ex principio cognoscitium infinite perfectio, quod Deo competit, rectè deducitur principium volitivum, etiam si non inferatur ex principio cognoscitium creato, quia principium cognoscitium obiectum cum volitivum perfectius est, quàm aliud quod cum illo non coniungeretur, sed Deus est principium cognoscitium perfectissimum: ergo est principium cognoscitium coniunctum cum principio volitivum.

2 Omne principium cognoscitium essentialiter esse volitivum defendunt P. Molin. ad art. D. Th. cit. n. 1. P. Vasq. i. p. tom. 2. disp. 23. c. 3. P. Suarez i. p. lib. 3. de attributis Dei positivis, c. 6. num. 1. P. Valent. i. p. q. 19. punct. 1. P. Didacus Ruiz supra, P. Arrub. in explicatione eiusdem articuli, P. Her. tract. 2. disp. 11. c. 3. P. Falsolus in commentario eiusdem art. P. Hurtad. disp. 5. de anima sect. 9. vbi ait repugnantiam huius substantie se ostendisse tract. de Voluntate. Sententiam defendit oppositam P. Ariag. disp. 2. sect. 4. vbi affirmat posse Deum producere creaturam intellectivam, absque vilo appetendi principio. Eidem nonnihil fauent Nominales apud P. Vasquez supra, asserentes, posse produci à Deo creaturam rationalem impeccabilem, & non satis explicant, an talis creatura haberet appetitum rationalem determinatum circa negationem peccati, an omnino illo careret: utroque enim modo impeccabilis esset; & si posteriori modo defendatur impeccabilitas talis creaturæ, sententia P. Ariag. auctoritate Gabrielis, Ohami, & Maioris commendabitur. Eandem plures acuti recentiores amplectantur.

3 Nonnulli apud P. Herice supra n. 16. prædictam sententiam hac ratione probant. Potest dari intellectio, quam nulla possit subsequi appetitio: ergo potest dari intellectus, quem nullus sequatur appetitus. Antecedens, probant. Demus Deum habuisse decretum non concurrenti cum voluntate ad aliquem actum, & decretum hoc reuelare alicui Angelo, qui propter reuelationem Dei crederet Deum non concursurum ad aliquem actum voluntatis: in hoc casu talis actus fidei supponeret tanquam obiectum formale intrinsecè secundum suam entitatem, reuelationem decreti, & ipsum decretum non concurrenti cum voluntate ad aliquem actum: ergo supponeret aliquid impossibile cum quocunque actu voluntatis, quia posito illo decreto nullus posset dari dependens à Deo, aliàs decretum fuisset irritum; neque independens, quia repugnat actus voluntatis, sicuti quælibet alia entitas creata existens independentè à decreto Dei: ergo posito illo actu intellectus, implicaret omnis voluntatis actus: ergo potest dari intellectio, quam non possit subsequi appetitio. P. Didacus Ruiz supra n. 30. dicit, ad præsentem questionem nihil interesse, utrum sit possibile iudicium aliquod intellectuale, cuius essentia repugnet ex se sequi volitionem aliquam. Quamvis enim concedatur non solum in exquisitis, atque fictitiis casibus de potentia absoluta, sed etiam communiter de potentia ordinaria multa concipi intellectus iudicia, ex quibus nulla potest subsequi volitio, quia nihil bonitatis, aut malitiae repræsentant; sed potius ab illis abstrahunt, veluti iudicium, quo ego cognosco duo, & tria esse quinque, vel angulum non esse sine duobus lineis; nihilominus concedendum non esset suppositum habens talia iudicia posse carere potentia volitiva, quia eo ipso, quod esset capax illarum intellectuum, esset capax aliarum, quas possent subsequi actus rationalis appetitus. Difficultate non caret hæc solutio, quia connexionem potentiarum, seu principiorum intellectui, & volitui deducimus ex connexionem actuum, & ordine, quem dicit intellectio ad volitionem, ergo si de ratione intellectus ut sit, non est ordo ad volitionem, neque de ratione intellectus erit ordo, seu conexio essentialis cum potentia volitiva.

Si quis diceret actum fidei intrinsecè sumptum secundum suam entitatem non habere connexionem essentialem cum existentia reuelationis, sed eundem posse extenderi propter reuelationem falsò existimatum, facile responderet, talem actum posse coniungi cum volitione orta ex illo casu, quo existeret non existente reuelatione, neque decreto non concurrenti cum voluntate. An verò actus fidei talem connexionem habeat cum obiecto, vel idem, qui modò est propter veram reuelationem, possit esse propter reuelationem falsò existimatum, disputant Theologi in materia de fide, & nonnihil de hac re attingunt Controv. 7. Punct. 1. §. 4. Fert communis sententia actum fidei essentialiter esse connexum cum obiecto, ideo iuxta illam prædictæ obiectioni satisfaciam. Respondet Herice, illum actum ex se virtutem habere inæqualem ad influendum in volitionem, repugnare tamen de facto influere quia essentialiter ratione obiecti est connexus cum negatione illius comprincipij requisiti ad influxum actus, qui dependet ex cognitione habente virtutem ad influendum, & ex decreto Dei quorum altero repugnante repugnat actualis influxus: ita posito illo actu repugnante volitio ex repugnantia decreti, quæ talem actum contrahitur, non ex defectu virtutis intrinsecè intellectus ad influendum in volitionem, quia intellectio virtutem illam haberet, sicuti etiam si Deus decerneret mecum non concurrere ad deambulandum, repugnaret supposito illo decreto me deambulare, & intrinsecè invariatus ego permanerem cum eadem virtute intrinsecè deambulandi quam modò habeo. Hoc est quod Herice non nimis clare appellat iudicium illud esse remotè, & non proximè potens influere in volitionem. Adhuc solutio hæc difficultatem non exhaurit, videtur enim repugnantiam inuolueret virtutem inæqualem ad aliquem effectum essentialiter connexum cum negatione alijs comprincipij essentialiter requisiti ad eundem effectum; virtus enim partialis, & inæquata ex se ordinatur ad coniunctionem cum alia virtute inæquata, vt cum illa producat effectum: ergo non potest essentialiter supponere negationem illius virtutis; implicat enim rem aliquam esse essentialiter connexam cum negatione habitus, cum quo petit coniungi: ergo cognitio habens virtutem inæqualem ad influendum in volitionem complendam per decretum, quod Deus habet concurrenti cum illa, exigit coniungi cum tali decreto, & non poterit essentialiter supponere talis decreti negationem.

Respondeo ad prædictam obiectionem: iudicium illud supponere tanquam obiectum reuelationem de concursu non futuro, & decretum reuelatum, cum quibus habet connexionem, non verò immediatè supponere negationem concursus, neque negationem actus Dei, quo velit concurrere cum voluntate, quia si per impossibile cum illa reuelatione, & cum decreto, quo Deus decerneret non concurrere, posset coniungi concursus, & alius actus subsequens voluntatis diuine, quo vellet concurrere, ille actus optimè subsisteret: quod si hæc coniungi non possunt non oritur ex natura actus, sed ex connexionem necessariam obiecti, quod supponit cum negatione concursus, & ex illatione actuali negationis concursus ex decreto negadi illum, quæ negatio, etiam si supponatur per impossibile non esse posita reuelatione, non inducit negationem actus, qui ex natura sua tantum petit reuelationem, & decretum non concurrenti: quod verò reuelatio, & decretum coniungantur cum negatione concursus oritur ex entitate reuelationis, & decreti, & non ex actu fidei, qui, vt dicebam, tantum petit reuelationem, & decretum ex se illarum negationis concursus: non verò ipsam negationem concursus.

Secundò hac ratione conclusio solet probari. Principium cognoscitium est prius principio volitivum, & ad illud supponitur: ergo etiam si postea non sequatur volitivum, principium cognoscitium permanebit, quia id quod prius est non potest dependere ab illo, quod est posterius. Respondeo, principium volitivum proximè & formaliter in actu primo non tantum esse posterius principio cognoscitio, sed etiam principio cognoscente, quia ad hoc vt in actu primo quis proximè possit velle, non tantum præteritur posse cognoscere, sed esse actu cognoscens, & ipsa cognitio actualis est quid formaliter pertinet ad ipsum principium volitivum, & continens actum primum volendi, & prior volitione: Principium verò volitivum radicale

radicale formaliter non distingui ab intellectu, & ita non esse prius illo: quod si per intellectum distingatur tantum habebit prioritatem quamdam rationis, quæ poterit deferre ad hoc ut per rationem præcindatur, non vero ad hoc, ut realiter separatur, quia realiter non est prius principium cognoscituum, quam volituum radicaliter, sed formaliter idem. Adde quod etiam si realiter distinguerentur posset dici principium intellectuum supponi ad volituum cum connexionione essentiali ad illud, & tamquam quid formalissimè connexum cum illo, ut implicaret dari principium cognoscituum sine volituo.

7 Tertiò arguunt alij: Sensationes externæ sunt quædam manifestationes, & propositiones obiectorum, & tamen nullum inferunt appetitum: ergo potest dari representatio interna obiecti, quin deat potentia appetitiva circa illud. Respondeo, appetitum internum materiale ferri in omnia obiecta sensata sensu interno, & sensibus externis, & ita horum representationes, externas videlicet sensationes, destitutas non esse potentia appetitivâ, quæ ex ipsis externis sensationibus, & ex illarum potentis deducitur.

8 Si quæ inuenitur solida probatio huius conclusionis, hæc est: non repugnat dari principium cognoscituum, quod non sit volituum: ergo potest Deus producere creaturam potentem cognoscere, & non velle. Tota hæc questio sita est in probatione antecedentis, quæ ex argumentorum solutionibus petenda est. Hæc refero ut reddâ illas.

9 Obiic. 1. Intellectus ordinatur ad voluntatem & intellectio ad volitionem: ergo implicat dari principium intellectuum, quod non sit volituum. Respondeo de facto intellectum, & voluntatem in creaturis existentibus esse idem saltem radicaliter, seu in radice, ex qua oriuntur hæc potentia in opinione, quæ illas superadditas admittit; & in sententia, quæ potentias has superadditas non admittit, principium formale intelligendi, & volendi esse idem, & ita in illa nullum posse reperiri ordinem inter intellectum & volituum: do tamen hunc ordinem intercedere in his principiis, qui negari nequit in illorum actibus, & nego similem ordinem necessariò dandum esse in omni intellectu, & intellectuone possibili respectu voluntatis, & volitionis, quia non repugnant intellectuones specie distinctæ ab his, quæ de facto dantur absque ullo ordine ad volitiones.

10 Obiic. 2. Creatura rationalis, & irrationalis distinguuntur ex eo, quod rationalis habeat appetitum elicatum, & irrationalis appetitum innatum: ergo implicat dari creaturam irrationalem carentem appetitu elicto, quia nihil potest dari sine illo, per quod formaliter distinguitur ab aliis. Respondeo creaturam rationalem de facto existentem constitui formaliter per principium intelligendi, & volendi per quod distinguitur ab omni irrationali, posse tamen dari creaturam rationalem constitutam per purum principium intelligendi, ex vi cuius differat formaliter ab omni creatura irrationali, & à rationali volitivâ, sicut planta per principium purè vegetativum differt ab omni non vegetativo, & à vegetativo sensitivo.

11 Obiic. 3. Principium perfectissimum potens cognoscere, quale est Deus, & imperfectissimum quale est brutum, est potens appetere: ergo de ratione omnis principij appetitivi est posse appetere. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia posset dari principium aliud cognoscituum imperfectius brutum, quod non posset appetere, & perfectius illo, & etiam perfectius homine, medium inter Deum, & hominem, quod non posset appetere, ex qua impotentia præcisè non esset æquè perfectum cum homine, ex alio tamen capite, videlicet ex perfectiori modo cognoscendi per pauciores species plura obiecta, & maiori expressione, certitudine, & evidentia exuperaret excessum bruti in potentia appetitiva.

12 Obiic. 4. Omnis forma debet habere appetitum sibi proportionatum: sed creatura rationalis habet actum rationis elicatum: ergo debet habere appetitum elicatum. Respondeo concedendo maiorem, & minorem, & negando consequentiam. Quia cum creatura rationali habente actum rationis elicatum non solum est proportionatus appetitus elicatus, sed etiam innatus, quia creaturæ rationali habenti actum rationis elicatum, etiam convenit innatus appetitus in suas passionem, ut omnes admittunt. Ex quo inferitur hunc appetitum illi esse proportionatum, quia nullus appetitus potest naturaliter rei convenire, qui cum illa

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I. I.

proportionatus non sit. Si dicas appetitum innatum non convenire creaturæ rationali, ut rationalis est, non tecum contendam, etsi possem obicere creaturam rationalem ut principium potens producere intellectum potentiam in opinione, quæ hanc admittit superadditam habere innatum appetitum ad illam producendam, & eandem creaturam videlicet animam simul cum potentia, si datur, & si non datur ipsam tantum habere innatum appetitum ad suos actus producendos: ergo creatura ut potens producere potentiam intellectum & ut potens producere intellectuones habet appetitum innatum, quia natura hominis, ut potens formaliter producere intellectum tantum propriam passionem, & intellectuones, simul cum intellectu, vel ipsa sola, formaliter rationalis est. Dico, me de hac re non contendere: do creaturæ rationali formaliter ut rationali non competere appetitum elicatum, sed tantum illi materialiter sumptè convenire, & assero posse dari creaturam rationalem, cui ut rationali formaliter appetitus non conveniat. Adde principium ratiocinandi formaliter in se non esse elicatum, sed tantum tale denominari ab actibus, qui eliciuntur, ac proinde appetitum proportionatum cum sua entitate non debere esse elicatum, siquidem ipsum principium cognoscituum formaliter in se elicatum non est.

13 Obiicuntur vltimò nonnulla testimonia adducta à Patre Vasquez, quibus ex Scriptura, & Patribus intendit probare omnem creaturam rationalem esse peccabilem, eo ipso, quod sit rationalis. Ex quo inferitur esse liberam, & potentem amare, quia sine libertate peccatum inueniri nequit, & libertas tantum potest in voluntate reperiri. Respond. omnia testimonia adducta à Patre Vasquez, & quæcumque alia adducantur; quibus Patres asserant omnem creaturam rationalem posse peccare, intelligenda esse de creaturis rationalibus habentibus potestiam volitivam, quia Patres tantum intendunt tradere nullam voluntatem, creatam esse impeccabilem, & cum de facto omne principium intellectuum sit volituum, vniuersaliter asserunt, omne principium intellectuum, seu omnem creaturam rationalem esse peccabilem, parum curantes, an possit dari creatura aliqua, quæ possit intelligere, & non amare.

14 Ex his potest non improbabili iudicari opinio asserens posse dari principium intellectuum, quod volituum non sit; Verumtamen mihi amplecti non permittit magna Doctorum auctoritas, qui oppositam defendunt, cum neque vnum inueniam, quem possum opponere alicui magnorum illorum Molina, Vasq. Suarez, & Valentia, quos cum aliis, pro sententia negante supra adduxi. Contradictio adducenda, propter quam non possit produci à Deo creatura potens cognoscere, & non appetere, sumenda est ex ipsa intrinseca natura principij cognoscitivi, & actuum illius, quorum finis est proponere cognoscenti obiecta fugienda, & amplectenda ad sui conseruationem. Sicut enim lapidi naturæ auctor propensionem dedit, innatumque appetitum ad proprium bonum, sic ut appetitum elicatum tribueret sensitivis, & ut per actus elicatos possent bonum amare, & malum odio prosequi; hoc fugere, & illud amplecti, potentiam cognoscitivam illis est impertitus, ut cognitam convenientiam, & disconuenientiam fugerent, & intenderent; & in hunc finem ordinatur potentia cognoscitiva, & illius actus: nam ut bene expendit P. Ruissus n. 31, frustra videret animal cibum, quem non posset appetere, frustra quis lupum videret, audiretque leonis rugitum, & cerneret vngues, si non posset fugere, neque timere, si bique consulere, maxime cum omnium animalium sensationes sint destinatæ ad conseruationem, commoditatem, illorumque lætitiâ.

CONTROVERSIA VI.

De Intellectione.

EXPLICIT natura potentia intellectus, & illius obiectum, restant modo parvus vtriusque explicandi, scilicet illius actus, de quibus modo disputationem texam.

G

PUNCTVM